[redacted]

ERYCI PVTEANI

BAMELRODI

BRVXELLA,

INCOMPARABILI EXEMPLO


SEPTENARIA,

GRIPHO PALLADIO

DESCRIPTA:

LVMINIBVS Hiſtoricis, Politicis, Miſcellaneis diſtincta & explicata.

Plenum item VRBIS ELOGIVM, *velut Loquens* IMAGO.



BRVXELLÆ,

Ex OFFICINA IOANNIS MOMMARTI.

M. DC. XLVI.

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO
SENATVI, POPVLOQ.
BRVXELLENSI:

D. GEORGIO DE BRIMEV, Equiti, à Conſiliis Belli, *&c.*

PRÆTORI;

D. FRANCISCO DE DONGELBERGE, Equiti, Toparchæ de Herlair, Zillebeke, Raſegem, *&c.*

CONSVLI;

D. FREDERICO DE MARSELAER, Equiti, Toparchæ de Parck, Eelewyt S. Huberti, Harzeaux, Hoycke, Borre, *&c.*

D. CLAVDIO VANDER EYCKEN, Equiti, Toparchæ de Nederlo, *&c.*

D. LEONARDO VANDER NOOT, I. V. Licentiato, Toparchæ de Kieſekem, *&c.*

D. PHILIPPO VANDER STEGHEN, I. V. Licentiato,

D. CORNELIO VAN VFFELE, I. V. Doctori, Toparchæ de Waeſmont, *&c.*

D. IACOBO PHILIPPO DE DONGELBERGE, Toparchæ de Schavenberghe, *&c.*

D. IOANNI VANDEN HECKE;

SENATORIBVS;

D. CAROLO DE LOCQVENGHIEN, Equiti, Toparchæ de Parck, *&c.*

D. ADRIANO VAN BAVSELE, Toparchæ de Brack, Heyler, *&c.*

THESAVRARIIS;

D. IOANNI VANDER THOMMEN, I.V.L.

PRÆFECTO FOSSÆ;

D. IOANNI BAPT. VAN GHINDERTAELEN, I. V. Doctori,

SYNDICO;

ADRIANO RAESSENS,

CONSVLI EX PLEBE;

ANTONIO VANDEN STOCK,
GVILIELMO VAN CAVERSON,
PETRO GEEREMS,
DANIELI LYNIERS,

QVÆSTORIBVS VRBIS;

IOANNI VANDER LOO,
IOANNI VAN DOORNE,

QVÆSTORIBVS FOSSÆ;

IOANNI VAN STEENSTRATEN,
IVDOCO VAN EGEM,
IVDOCO VAN CVTSEM,
IOANNI SOPHIE,
DIONYSIO WATERLOOS,
DANIELI PEPERMANS,

CONSILIARIIS.

SALVS, FELICITAS, GLORIA.

BRV-

BRVXELLA,

PROVINCIARVM BELGICARVM GLORIA,

VRBIVM GEMMA,

VNA HABET QVOD ALIÆ OMNES,

SOLA QVOD NVLLA.

HABET AVLAM, IPSA VELVT AVLA,

MAGNA, PVLCHRA, NOBILIS.

AËR AVRVM EST,

AQVA ARGENTVM,

TERRA NATVRÆ PRETIVM.

ALIBI DOMVS, HIC PALATIA;

ALIBI NITOR, HIC SPLENDOR;

ALIBI HOMINES, HIC ET HEROES.

PRÆSENTIA PRINCIPIS REIP. MAIESTAS EST;

RECTORES RADII, ET AB VNO IVBARE;

CIVES STELLÆ, ET SIMVL MICANT;

MORES LEGES, ET SALVTEM CONTINENT.

HANC VRBEM,

SEPTEM COLLIBVS EXCELSAM,

ROMANAE VELVT IMAGINEM;

SEPTEM PORTIS CIRCVMDATAM,

THEBARVM IDEAM;

TER SEPTENIS FONTIBVS IRRIGVAM,

NYMPHARVM LAVACRVM;

SEPTEM PONTIBVS PRIDEM IVNCTAM,

ET SÆPIVS VNAM;

SEPTEM TEMPLIS LVSTRALEM,

RELIGIONIS MYSTERIVM;

SEPTEM XENODOCHIIS HOSPITALEM,

PIETATIS CONTVBERNIVM;

SEPTEM FAMILIIS FOECVNDAM,

REGIMINIS SEMINARIVM;

INCOMPARABILI EXEMPLO SEPTENARIAM,

ET GRIPHO PALLADIO DESCRIPTAM.

IPSI

IPSI VRBI,

PRÆTORE SVO, CONSVLIBVS, S. P. Q.

AVGVSTAE,

VIRIS ET VIRTVTIBVS,

ARTIBVS ET OPIBVS,

REBVSQVE PRÆCLARE GESTIS INCLYTÆ,

ERYCIVS PVTEANVS BAMELRODIVS,

INGENII CVLTV CIVIS OBSEQVIVM OFFERENS,

DEDICAT CONSECRATQVE,

HOC INPRIMIS VICTVRVS MONVMENTO,

QVAMVIS EXIGVO,

QVOD SVO VRBS NOMINE ET NVMERO

MAGNAM FACIET,

ET IN SECVLA EXTENDET.

ITA SOSPES, FELIX, ÆTERNA SIT;

VOTIS EVEHENDA,

POSTQVAM ENCOMIA SVPERAVIT.

NOBILISSIMI AC AMPLISSIMI

DOMINI,

VIRTVTVM ET LITTERARVM

PATRONI.

MVLTA non ſcribam verba, rerum obſervantior; quia non pauca INSCRIPSI. Totidem Vrbis Veſtræ Encomia ſunt, tergeminâ paginâ breviter expreſſa. Solida verò, non ſolita; Pario marmore, quàm molli papyro digniora. Perpetuitas ſpectanda eſt: citiùs autem libri, quàm lapides contabeſcunt ac pereunt; quæ tincta, quàm quæ ſculpta. Evolvantur ſic tamen in omnium oculos: cùm temporum ſæviet injuria, in animis & memoria hominum perennabunt. Ego ſanè, ut pium, ita & pulchrum ſemper arbitratus ſum, vel PRINCIPES Viros, qui humani quidem Dii ſunt, vel præclaras

ras VRBES, quæ terarrum Stellæ, ſtilo & ingenio venerari. PRINCIPES cœperam, ac THEATRVM moliri HEROICVM; cujus jam partes aliquæ publicè ſpectantur. Ad VRBES pari ferebar animo: ſed illas potiſſimùm, quibus peculiari ratione & me videbar, & ſtudia mea debere. Plures ſunt, & ad SEPTENARIVM ſæpiùs veniunt: paucæ tamen, ſi Brabantiæ finibus pietatem meam concludam. Inter has verò LOVANIVM, BRVXELLA, ANTVERPIA eminent: totidem titulis, ACADEMIA, AVLA, EMPORIVM; Ternóſque Provinciæ ORDINES denotant: illum Sacrum Academia, Nobilem Aula, Civilem Emporium. Ad me quod attinet, gente Gugernâ, Lovanii, & in Arce habito, in reliquis vivo, Bruxellæ felix ſum, ac meliori omine ad famam aſſurgo. Hoc etiam diſcrimine, cùm omnibus debeam, quid à me ſingulæ jure ſuo exigant, in confeſſo eſt. Felicitas iſta, ut titulos honoréſque Regios prætaream, in Benevolentia veſtra poſita eſt; quâ me, tanquam Civem, & in me Litte-

ras, tanquàm omnibus neceſſarias, complexi, ea effudiſtis bona & beneficia, quæ ne Patria quidem dedit. Vt gratus igitur eſſem, ingenium in hoſtimentum contuli; anniſus exprimere ſtilo, quæ myſterio arcana ſunt, & in Vrbe veſtra ſine exemplo admiranda. LOVANIVM quidem ejus Apollo IVSTVS LIPSIVS deſcripſerat; ANTVERPIAM CAROLVS SCRIBANIVS, ſublimis animi calamíque, è Societate IESV Vir; reliquas IO. BAPTISTA GRAMAYVS, ſed ut nullam ſatis abſolveret, copioſus tamen eſſet. Rectiùs ſanè LVDOVICVS GVICCIARDINVS, quamvis breviter, & ſuâ linguâ, de univerſo Belgio homo Italus optimè meritus, & plus quàm Belga. Sic ergò legitur adhuc magis BRVXELLA, quàm ſcitur: peculiari digna libro, quemadmodùm gloriâ & majeſtate excellit. Meam induſtriam, pronam licèt & proclivem, ſpecioſa illa, & ingens nuper Tabula ſtimulavit, majori ſumptu quàm ingenio, utiliter tamen à Cive & Patricio concinnata: cui cùm DESCRIPTIONEM

meam

meam lubens adderem, animare verbis lineas viſus ſum; & his muta cœpit Imago loqui. Sed hoc ego tum officium Civitati perſolvi. Conſtantiori mox igitur conſilio & conatu (quaſi hæc mihi, quam ornarem, Sparta relicta eſſet) BRVXELLAM, ſed SEPTENARIAM, GRIPHO comprehenſam PALLADIO, compoſui, & illuſtravi, Numeris exprimens, quicquid ad curioſam notitiam Hiſtoria ſuppeditaret. BRVXELLAM cùm dico; decus & ornamentum dico Vrbium: cùm SEPTENARIAM, myſterium & miraculum. Potentia, Pulchritudo, Nobilitas hoc ornamento; Felicitas, Securitas, Æternitas hoc miraculo continentur. Non poterat profectò BRVXELLA eſſe, niſi eſſet SEPTENARIA; neque SEPTENARIA, niſi BRVXELLA. In ipſo adhuc ævi & rerum flore SEPTEM DYNASTÆ erant, Rectores Populi, & divino quaſi numero; SEPTEM diſcreti PALATIIS, junctiſſimi animis; cùm jam SEPTEM Vrbis PORTÆ eſſent, ſingulæ ſub ſingulis; & SEPTEM quaſi in una Vrbe Vrbes. A Dynaſtis

naſtis deinde SEPTEM Nobilium FAMILIÆ: & quemadmodùm SEPTEMVIRI, SEPTEM OMNIA, quæ in Senatu, in Populo, in tota Curiæ adminiſtratione obſervantur. Sed peculiaris hîc nunc ſe mihi offert SEPTENARIVS, quo totum adeò Magiſtratum comprehendo. PRÆTVRA prima eſt, & faſcibus ſuis ſecuribúſque eminet, ut Nobilitatis, ita Iuſtitiæ tenax. Hac qui fungitur, VIRI nomine MVNVS Ampliſſimum gerit; vices ejus, qui imperat omnibus. Sed qui Viri! ut Faſtos faciant. Sequitur CONSVLATVS, recentior quidem, ſed cum maximo Populi commodo, annos abhinc CC. XXV. inſtitutus. Hîc etiam Viri ſunt, Nobiliſſimi, Optimi, Prudentiſſimi, & pulcherrimo vocabulo MAGISTRI CIVIVM appellantur: Publici Patres, & Rempublicam velut familiam, Cives velut liberos gubernant. Hîc verò & Faſti ſunt, ut Viros agnoſcamus. Deinceps SEPTEMVIRATVS, cujus jam mentio facta, Numero Senatoriam Dignitatem aſſumens, Dignitate Numerum. Hoc nomen, Curiæ velut

velut fundamentum eſt ; quaſi reliqui SEPTENARII eo uno nitantur; vel inde dependeant. Ipſi nimirum hi SEPTEM, quia SEPTEM, poſſunt in Magiſtratu omnia; quia VIRI, volunt optima, & concordiam Populi atque tranquillitatem incorruptiſſimis ſententiis ſtabiliunt, fide & facundiâ tuentur. Suo etiam loco & laude digni, qui THESAVRIS è Nobilitate Patricia præſunt, & nervos Reipublicæ regunt : ut & Quæſtores Ærarii, minori dignitate & ordine, pari famâ & integritate. Idem enim utriſque ſtudium, eadem cura; ne, quà publicas diſpenſant divitias, privatas augeant; liberales, ne à frugalitate abeant; frugales, ne à liberalitate. Pars deinde hujus Heptadis PRÆFECTVRA FOSSÆ, functio Nobilium, ſuis etiam è Plebe Quæſtoribus ſtipata: quæ quoties vices mutat, Auctorem invenit; & tanquàm incipiat ſemper, innocentiſſimè curatur. Iam reliquus ſuo quoque ornatus Conſule SENATVS, & qui minora Curiæ munia ſuſtinent, honeſtiſſimi Civium, mores non verentur famæ

tradere, tam compoſiti omnes, & boni publici ſatagentes, ut ſua commoda Populi putent, Populi ſua. Prorsùs, quaſi aliter in Vrbe veſtra geri Magiſtratus non poſſit, ubi generoſa honeſtas animos occupat; ambitus, avaritia, invidia exulant, & quodammodò ignorantur. Hinc divitiæ in ipſis etiam anguſtiis, vires in ſumptibus, animi in conatibus, & Reipublicæ ſufficiunt. Accedunt denique, & numerum meum implent, ARMA, quæ ad tutelam Vrbis excubant, robur Civium, manúſque Martis, & Pacis cuſtodia, in occaſione prompta, in prœlio intrepida, in periculo invicta. Civilis, & ordinata hæc militia eſt: mœnia, velut caſtra, & legibus, atque diſciplinâ defenduntur. Quid etiam? ſi neceſſitas urgeat, nemo non miles: nec minùs dextrè felicitérque Arma omnes, quàm Opificia exercent. Verumenimverò, ut fortes, ita ſuopte genio probi ſunt, ad Candorem, Humanitatem, Hoſpitalitatem facti. Quemadmodùm ſuaves quoque, ita induſtrii; & ut rebus, actionibus, negotiis pares ſint, hilari-

lariter reſpirant. Siquæ jurgia, litigia, fribuſcula; facili concordiâ, aut etiam Iudicio Conſulari, quod Aurei ſæculi exemplum eſt, componuntur. Omnis Sodalitas nonniſi ſedulitas: quot Collegia, tot non corporum modò, ſed ingeniorum gymnaſia ſunt: quot Tribus & Claſſes, tot parvæ quædam Reſpublicæ; in quibus ipſa Libertas ſeveris conſtat legibus, ſeria & ludicra parem morum cenſuram admittunt. Video mercimonia ſine impoſtura, artes operáſque ſine fraude, lucrum ſine injuria: quæ cuncta Religionis cultu, tanquàm fundamento nituntur, tanquàm fulcro conſiſtunt. Templa veſtra ſi adeam, hîc frequens ſemper Populus eſt, & cùm pulcherrima ſint, majori tamen pietate exornantur. Sed quid? melior iſta, & innata indoles, à Cælo & Solo eſt, ab Aëre & Aqua; tanquàm Elementa conſpirent. Ne ad laudes ſingula revocem, plura verbo uno abſolvam Encomia: Hîc habitare Principes voluerunt; imò hîc aliquid Principis ſuâ incolæ felicitate exprimunt. Situs Vrbis

 pla-

plagam versùs Orientis Septem ſuis Collibus & Clivis molliter aſſurgens, quæ occidua ſunt longè latéque deſpicit. Sed omnes delicias Fontes ſuperant: non è vicinis ducti montibus, tanquàm peregrinum adferant laticem; ſed in ipſa Vrbe nati, ac prorsùs vernaculi, numero etjam ſuo myſtico, ſæpiúſque SEPTENARIO proſiliunt; magno Naturæ, Artíſque ſimul beneficio, ſive uſum, ſive munditiem æſtimamus. Vetus illud Pindari verum hîc, & Veſtrum eſt: ΑΡΙΣΤΟΝ ΜΕΝ ΥΔΩΡ, OPTIMA QVIDEM AQVA; ſed profectò optima omnia in Vrbe pulcherrima facit. Corrigitur Aër, qui & ipſe tamen optimus; purgatur Terra, quæ pariter optima; & per declivia eluuntur ſordes, quas Senna deinde benigno excipit alveo, & molliter labens abducit. Structuras publicas quid attinet commemorare? privatæ hîc quidem aliarum ſplendorem Vrbium ſuperant. Vna Curia, admirationis materia, & quædam quaſi gemma, oſtendere poteſt, etiam in Gothica mole Artis ornamenta eminere. Turris autem

ele-

elegantiſſimæ induſtriæ ſpecimen, quicquid alibi aut magnificum, aut clarum eſt, obfuſcat. Iam Plateæ, etiam per colles normam ſervant, in vallibus incredibilem venuſtatem induunt. Emendantur veteres, diriguntur novæ, novíſque domibus, aquis, ripis novam è vetere Vrbem faciunt: pulchriorem, quia creſcit quotidie; majorem quoque, cùm iiſdem tamen mœnibus pomœriiſque concludatur. Meherclè vetuſtate ſuâ venerabilis eſt, novitate pulchra, in ipſò florens ſenio, ubi aliæ deficiunt, imò cadunt. Hæc incrementa Veſtra, hæc ornamenta, ſæviente belli tempeſtate, quis non vehementer opſtupeſcat? Manifeſtum agnoſco beneficium Numinis, & præſentiam Genii Tutelaris. Etenim inter tubas & tympana, turbas & turbines quieti eſtis; quia in meditullio Provinciarum: ſecuriores interim virtute, quàm ſitu; & quia amatis, imò fovetis eas artes, quæ ad pacem faciunt, & belli mala emendant. Minor igitur hîc motus eſt, minor etiam metus: imago po-

tiùs Martis, quàm ærumna. Hîc Conſilia, Apparatus, & Armorum ſumma. Hîc etiam, & in ſinu Vrbis Veſtræ, Duces, è Caſtris reduces, à laboribus æſtivis reſpirant, ſudorem & ſanguinem abluunt, & aliquid Pacis habent, dum nova prœlia, obſidiones, victorias, aut quomodò hoſtibus reſiſtant, meditantur. Veſtræ Portæ nónne ſolitæ triumphos excipere? Veſtris in fanis nónne vexilla & trophæa fulgêre? Veſtris in aris nónne vota, preces, & ſupplicationes primæ ſunt? hinc ſanè ad reliquas Vrbes, imò Provincias, non imperio tantùm pietatis, ſed exemplo extenduntur. Reſpicite Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Heroëm, D. EMANVELEM DE MOVRA, & CORTEREAL, Marchionem Caſtelrodrigium, Comitem Lumiareſium, Dominum Terrænovæ, Præfectum Inſularum Terceræ, S. Georgii, Fayalæ, Pici, Commendatorem Majorem Ordinis CHRISTI, Primum, & plenâ poteſtate ad tractandam Pacem Legatum Regium, Provinciarum Belgica-

rum

rum, & Burgundiæ Gubernatorem: Sedulus, ut Summus eſt, & in omnem partem vigilans; hinc pietatis illud imperium: bonus & totus Dei; hinc exemplum. Sed quæ in Vobis potiſſimùm ſecuritatis bona laudo, BONI REGIMINIS manifeſtà ſigna ſunt: neque fortunas tantùm Civium, ſed & animos indicant. Ita me Deus, audent, ubi alii patiuntur, felices eſſe; ubi alii infelices ſunt, non pati. Satis iſta: ſufflaminandus enim hic mihi nunc impetus, ne non tam offerre Munus, quàm novum contexere Elogium videar; aut Libri formam προσφώνησις iſta, ſive Dedicatio ſumat. Capite igitur,

NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI

DOMINI,

BRVXELLAM; quia Veſtram, quia ſuis à me numeris Deſcriptam, & Explicatam. Ad Deſcriptionem facit GRIPHI PALLADII titulus, admiranda HEPTADIS Myſteria comprehendens; ad Explicationem LVMINA, partim HISTORICA,

partim POLITICA, partim MISCELLANEA, quæ addidi, totum conatus Vrbis Statum Ordinémque complecti. In ſeriis ſic quidem amœnus fui, qui Litterarum Genius eſt; in amœnis ſerius, ut argumentum poſcebat. Ad ſummam, quemadmodùm BRVXELLÆ Veſtræ impendi ingenium; ita nunc ſolenni formulâ DEDICO CONSECROQ. ut totus Veſter ſim, Veſter vivam, Veſter moriar: beneficio ſic Veſtro etiam poſt fata victurus,

ERYCIVS PVTEANVS
BAMELRODIVS.

Lovanii, in Arce, Kal. Martiis,
CIↃ. IↃC. XLVI.

PRÆ-

PRÆFATIO

DE CAVSSA SCRIPTIONIS, NOMINE ET VSU GRIPHI, OMINE ET MYSTERIO SEPTENARII.

AD PRÆTOREM VRBIS.

VT ſerius eſſem, ludere Carmine jam ſenex volui, an valui? & ad Litterarum delicias blando velut poſtliminio reverti. Argumentum VRBS BRVXELLA *fuit; ſed* SEPTENARIA, *calamúmque hunc meum, Elogiis Principum inhærentem, numeri nobilitate ad ſe traxit. Hìc ego natus quidem non ſum; notus tamen: ac proinde tanquàm alteram nactus Patriam, Civis videri volui, veros ubi Amicos inveneram; pietatémque ſcribendo profiteri, ubi Litteris & pretium, & honos erat. In titulum* GRIPHVS *placuit, Septies Septenis extenſus Diſtichis: quæ myſterii in ſe redeuntis non ſumma tantùm, ſed & venuſtas eſt, tot miracula continens, quot ipſa Heptas modis in Regimine Vrbis variatur. Eſt autem* GRIPHVS *(quo & Auſonius in Ternario uſus) Græcè γρῖφος, ſive γρίπος*, ſagena, *vel* rete, & Sermonem implicatum, adeóque Ænigmati ſimilem, in nodum conſtringit. *Hujuſmodi laqueis Homerum periiſſe, etiam Archias Poëta teſtatur:*

> Μαιονίδης γρίφοις ἰχθυβόλων ἔθανεν.
> Piſcantum laqueis Mæonides periit.

Sed

Sed Ænigma jocoſum erat, GRIPHVS *ſerius, ut Iulius Pollux diſtinguit. Apta ſic quidem, imò æſtimanda Clearchi apud Athenæum verba:* τῶν γρίφων ἡ ζήτησις οὐκ ἀλλοτρία φιλοσοφίας ἐστί: Griphorum perſcrutatio à Philoſophia neutiquam aliena eſt. *Quid etiam? Uſum ejus in conviviis maximè fuiſſe, ſatis conſtat. Eſſe adhuc optem: & quanto veræ hilaritatis fructu! Sanè etiam inter fercula & pocula philoſophari liceat, crapulam alibi temulentiámque amœnâ ſeveritate cohibere. Ad rem, ritúmque eundem* Scirpi, *vel* Sirpi *faciunt: quemadmodùm* Sirpare *Veteribus innectere & colligere. Sed mihi etiam extra convivium* GRIPHVS *placuit:* GRIPHVS *verè* PALLADIVS; *qui* VRBIS PALLADIÆ *præcipuos Septenarios, non fruſtrà olim inſtitutos, repræſentaret. His profectò* BRVXELLA, BRVXELLA *eſt, Magna, Pulchra, Potens, ad Romanæ Vrbis exemplum, Palladis numero, & omine evectæ. Romanæ, inquam, quæ, ut Septem Colles murorum ambitu; ita Orbem terrarum imperio complexa eſt.* GRIPHO *etiam* LVMINA *ſua adjecta ſunt; ne vel Antiquitas in crepuſculo myſterii ſui, vel Novitas in diluculo encomii laboraret. Scribendi interim hoc genus, cujuſmodi ſit, & quam in partem doctrinæ vergat, ambiguo pendebit judicio. Alius, Hiſtoricum eſſe, cùm rerum memoriæ ac momenta ab origine referantur: alius, Politicum, atque ſtatum Urbis Regimine ſuo deſcriptum eſſe: alius, Poëticum; Carmine enim, velut fundamento, ſubſiſtere. Alius fortaſſis aliter. Ut quiſque volet: mihi Myſticum, & ſic Mixtum eſt; titulo ſimplex, argumento varium, & ipsâ ſterilitate ſuâ fœcundum. An brevius?* PALLADIVM *eſt: ſed ipſam* VRBEM PALLADIAM *eſſe, numerus oſtendit.*

SEPTIES SEPTEM
HEPTADVM,
QVÆ GRIPHO COMPREHENDVNTVR,
SYNOPSIS.

SEPTEM Litteræ in nomine Vrbis, Divi, & Divæ Tutelaris.
Septem hîc aliquando eodem tempore hoſpites Reges.
Septem olim Arces.
Septem Dynaſtæ.
Septem Tribus Nobilium.
Septemviri Patricii.
Ter Septẽ qui ad Septemviratum nominantur.
Septem Toparchæ Lacenſes.
Ter Septem in Magiſtratu Viri.
Septem Curiæ Collegia.
SeptemConſulares cauſſæ.
Septem Iudices Vccleani.
Septem Tribunalia Regia.
Septem Senatores Curiæ Brabanticæ.
Septem Primores Scribæ.
Septem Accenſi.
Septem Nobilium Conclavia.
Septem Indigetes.
Septem Parœciæ.
Septem minores Scholæ.
Septem S. Spiritûs Menſæ.
Septem Dei Domus.
Septem Xenodochia.
Bis Septem D. Virginis Statuæ, Miraculis claræ.
Septem Organa Horaria.
Septem Nocturni Vigiles.
Septem Aulœdi.
Quater Septem Tympanotribæ.
Septem Circuitrices.
Septem Pronubæ.
Septem Obſtetrices.
Septem Libitinariæ.
Septem Veſpillones.
Septem Anni Vidui.
Septem Portæ.
Septem Colles.
Septem Stagna.

Bis

Bis Septem Fora.
Septem in Forum Magnum Publicæ viæ.
Septem Occultæ.
Septem ibidem ejuſdem ſtructuræ Domus.
Septem Majores Turres.
Septem turris Civicæ Fornices.
Septem Nuptialia Atria.
Septem Putei Coronati.
Ter Septem in Vrbe Fontes.
Septem in Curia.
Septem Sennæ Divortia.
Bis Septem Pontes.
SEPTEM omnia, & hinc omina felicitatis.

ERYCIO PVTEANO
BAMELRODIO,

Conſiliario, Hiſtoriographo, & Profeſſori Regio, Arcis Lovanienſis Præfecto,

SEPTENARIOS BRVXELLENSES
eruenti ac publicanti.

BRVXELLAM, PVTEANE, SEPTIFORMEM
Rebus omnibus in ſuis adumbras,
Et quicquid puto neſciebat Ipſa,
Ipſi reddis, & exhibes videndum:
Totúmque abſuerat, niſi eruiſſes.
Ecquid Hæc Tibi? Vindicem ſuorum
Agnoſcit, PVTEANE, *Te bonorum.*

GVILIELMVS BVRIVS, Patriæ ſuæ nomine, hoc SEPTENARIO gratias agebat.

INVITATIVNCVLA
AD SEPTENARIORVM
LECTIONEM.

SI juvat Hiſtoria, hunc Numerorum pellege GRIPHVM:
Quot legis hîc Numeros, tot legis Hiſtorias.

G. G. T.

ERY-



A Santvoort f.

ERYCI PVTEANI
BAMELRODI
BRVXELLA,
INCOMPARABILI EXEMPLO
SEPTENARIA,
GRIPHO PALLADIO,
In VII. extenſo Diſtichorum Heptades,
DESCRIPTA.

HEPTAS I.

HEPTAS *ſi numen numero, ſi nomine* PALLAS,
Vrbs BRVXELLA *mihi Belgica* PALLAS *erit.*
Nomine numē habet, Septenis ſcripta figuris:
DIVVS *quot legitur,* DIVA *quot ipſa loci.*
Egregiis Vrbs clara Viris, Virtutibus, Armis,
Moribus, Ingeniis, Artibus, atque Opibus.
Vnio, Lux, Radius, Splendor, Flos, Gemma, Corona:
Vna, Aulæq; capax, atque adeò AVSTRIACÆ.
Vrbs Vna, Vrbs Omnis, quæ Térque Quatérque beata,
Vna potis Septem Sceptra fovere ſinu.

Arces hîc olim Septem, Septémque Dynaſtæ,
Commune Imperium quos penes Vrbis erat.
Ecce tibi HVGONES, RVDOLPHI, *& nomina ſumpta*
A RIVO, *à* GLADIO, MONTE, LEONE, VIA.

II.

Inde Tribus Septem, prætextæ lumina; SEPTEM
Patriciâ Inſignes Nobilitate VIRI:
Rectores Populi, Patréſque à Principe lecti,
E ter Septenis ordine Nominibus.
Septem Lacenſes veteri ditione Toparchæ,
Et ſerâ titulos poſteritate gerunt.
Ipſa ſuis plena eſt ter Septem Curia Sellis,
Et triplici regitur PALLADE *jus populi.*
Septem Purpurei ſplendent Sacraria Conſi:
Curia Septena eſt, attamen una manet.
Hîc ſunt [1] *Civiles, ſunt triſtes Crimine Cauſſæ,*
Septem queis præſunt munere Patricii.
Sed Conſul, Septem dirimens ex tempore lites,
Vnus Septenos exprimit ore Viros.

III.

Martius hîc etiam [2] *Conſeſſus Centurionum,*
[3] *Iurgia Textorum,* [4] *Pacis & Arbitrium.*
Hîc ſunt [5] *Ærarî Quæſtores, Scriba, Tribuni:*
PALLADIS *eſt numerus,* PALLAS *& Æra regit.*

Hîc

Hîc [6] *Pietatis Opes,* [7] *Tutorum ſancta poteſtas;*
Curia ſubſidio eſt, Vrbis ab Vrbe ſalus.
Nuperus, hos præter, Ductarum Præſes Aquarum
Ius dicit Nautis, hîc ſua roſtra tenet.
Eſt etiam Vccléum pagano jure Tribunal,
Septeniſque ſuis Nobile Iudicibus.
Hoc unum è Septem; MAGNI *quæ nomine* REGIS
Publica diſpenſant munia Iuſtitiæ.
Ipſe Brabantinus trabeatâ veſte Senatus,
Septeno quondam lumine Clarus erat:

IV.

A Cælo placuit numerus; placuítque referre
Septem, quos celebrat Græcia priſca, Sophos.
Septem Primores, nec eodem munere Scribæ:
Pars calamis, Graphiis pars decorata ſuis.
Septem nunc etiam Accenſi, de more Miniſtri:
Additur Octavus Conſulis obſequio.
Nobilitas diſcreta tenet Conclavia Septem:
Tot dicam Claſſes Plebis, an eſſe Novem?
Indigetes Septem, Septem Luſtralia Fana;
Et Septem colitur parva Minerva Scholis.
Sublevat eſuriem Septem Pia Sportula Menſis,
Tótque Dei Domibus Plebs alimenta capit.

Externis, miſeriſque patent, morbóque gravatis,
Septem diſtinctis Hoſpita tecta locis.

V.

Sacræ bis Septem Statuæ, queis porrigit ægro
Alma ſalutiferam VIRGO *vocata manum.*
Horas ære cient dimenſas Organa Septem,
Organa Dædaliis irrequieta rotis.
Nocturni Septem Vigiles, tutela quietis,
Quos & Vulcanus, quóſque Laverna timet.
Aulœdi Septem, miſcentes Cornua Nervis:
Atque quater Septem Tympana rauca boant.
Septem vendundis ſunt ſcrutis Circuitrices,
Rumoríſque vagi nuncia mille ferunt.
Pronuba dat Septem famulantum Iuno catervam:
Dat Lucina ſuam, dat Libitina ſuam.
Sunt Veſpillones Septem, qui, quantula diro
In ſcrobe ſint hominum corpora nuda, docent.

V I.

Septem ſunt viduis, & longi noctibus anni,
Queis vacuo flebat nupta jacere toro:
Sed rediêre domum peregrino à Marte Mariti;
Omnis quem celebrat femina læta diem.
Septem ſunt Portæ, ſileat ſua mœnia Cadmus:
Arces eſſe putes, nec niſi Martis opus.

Et

Et Colles Septem, ſublimis imagine Romæ:
Stagna, quot exundans oſtia Nilus habet.
Sunt Fora bis Septem, lætæ commercia Pacis:
Nil potuit Magno pulchrius eſſe Foro.
Huc Septémque viæ patulæ, Septémque meatus
Occulti ducunt: his juvat ire dolis.
Hîc quoque magnificis erectæ molibus Ædes,
Ordine ſtant Septem, ſtant velut una Domus.

VII.

Majores Septem Turres: quæ fornice DIVVM
Vrbis Septeno ſuſtinet, eximia eſt.
Septem Hymenæus habet lucentibus Atria tædis:
Tot ſunt Criſtatis verticibus Putei.
Sunt bis Septeni, Nympharum gloria, Fontes:
Ipſa ſuis Septem Curia manat Aquis.
Scinditur in Septem præceps divortia Sennæ,
Et labens linquit commoda multa ſui.
Foſſa licet penetret, licet Amnis dividat Vrbem;
Ad ſe bis Septem Pontibus ipſa redit.
Cætera quid memorem? numera: ſunt omnia Septem,
PALLADIS *& totâ cernitur Vrbe decus.*
Septem quid mirer vaſti miracula Mundi?
Tot veluti Mundos Belgica PALLAS *habet.*

IN
VRBIS BRVXELLÆ
GRIPHVM PALLADIVM
PROTHESIS,
AD CONSVLEM VRBIS.

DIGNVS hic Carmine GRIPHVS erat, ut SEPTENARIVM includeret: & SEPTENARIVS GRIPHO, ut Nobiliſſima Vrbium, & INCOMPARABILI EXEMPLO SEPTENARIA, deſcriberetur. Septies Septenis Diſtichis Carmen conſtat, plenum potiùs numero, quàm argumento; quod cùm immenſum ſit, infra ſe induſtriam ſcribentis relinquit. LVMINA igitur, tanquàm Subſidia quædam accedunt. Ac ſanè hiſce opus erat, ut diſtinctiùs nonnulla clariúſque, nocte aut nube remotâ, dicerentur; ut pleniùs ac planiùs. Vbi brevitas, obſcuritas plerunque, præſertim in numeris, & quando res abſtruſæ; quæ ut Verſibus adumbrari amant, ſic Proſâ explicari. Minoris etiam momenti nonnulla, quando caſu potiùs, quàm conſilio Heptadem induunt;& plus privati,quàm publici habent. Non omnia dicere, ad dignitatem interdum argumenti facit: quædam etiam ſeparare malis,quàm negligere;quædam ſuggerere, quàm celebrare. Cogita, ſimilitudinem hìc picturæ eſſe: in GRIPHO lineas, in LVMINI-

BVS

BVS colores inveniri. Lineæ ſi vel breviores, vel obſcuriores ſunt, colores inſpice, & totam in SEPTENARIIS ſuis Vrbem invenies; totum lato Clavo ſuo fulgentem Magiſtratum. Prætor primus eſt, & Principem munere perpetuo repræſentat: Conſul populum, ſed annuo; qui publicus velut Pater omnibus conſulit, *Magiſter Civium* vernaculè, nec fruſtrà appellatus. Sequuntur Septemviri, reliquuſque deinde Magiſtratus. De aliis aliàs: Conſules hîc nunc ab anno ∞. CCCC. XXI. quo cœperunt, ſuis velut Faſtis omnes recenſeo. Anteà enim & Prætor, & Septemviri erant: & ex hiſce qui Primus ordine, Conſulis inſtar, quaſi Solem referret, inter Septem Vrbis Sidera eminebat.

FASTI CONSVLARES
VRBIS BRVXELLÆ,

Ab Anno CHRISTI ∞. CCCC. XXI. *ſive Ducenteſimo tertio Septenario, qui vigeſimus nonus Septenarius eſt quadratus.*

Anni initium à Solſtitio, ſive Natali D. IOANNIS.

∞. CCCC.	
XXI.	*GErardus Pipenpoy.*
	Ioannes de Suaeff.
XXII.	*VValtherus vanden Heetvelde, Miles.*
XXIII.	*VVilhelmus de Keſterbeke.*
XXIV.	*Ioannes de Frigido Monte, dictus Rolibuc.*
XXV.	*VVilhelmus de Herzele.*
XXVI.	*VVenceſlaus T'ſerclaes, Miles.*

 Ioan-

XXVII.	*Ioannes de Hertoghe, Miles.*
XXVIII.	*Henricus Magnus.*
XXIX.	*VVilhelmus de Keſterbeke,* II.
XXX.	*Simon de Ophem.*
XXXI.	*VValtherus Gerardi F. Pipenpoy.*
XXXII.	*VVenceſlaus Tſerclaes, Miles,* II.
XXXIII.	*Ioannes Bernaige, Miles.*
XXXIV.	*Ioannes Florentii F. de Frigido Monte.*
XXXV.	*VValtherus vander Noot.*
XXXVI.	*VValtherus vanden VVinckele.*
XXXVII.	*Henricus Taye.*
XXXVIII.	*Everardus Tſerarnts.*
XXXIX.	*Ioannes de Mol.*
XL.	*Nicolaus vanden Heetvelde, Miles.*
XLI.	*VValtherus VValtheri F. vander Noot.*
XLII.	*Ioannes Ioannis F. de Frigido Monte.*
XLIII.	*Ioannes Tſerclaes.*
XLIV.	*Ioannes Ioannis F. de Mol,* II.
XLV.	*Nicolaus vanden Heetvelde, Miles,* II.
XLVI.	*VVenceſlaus Tſerclaes, Miles,* III.
XLVII.	*Antonius Mennen.*
XLVIII.	*VValtherus vander Noot.*
XLIX.	*Ioannes VValtheri, F. vander Noot.*
L.	*Nicolaus vanden Heetvelde, Miles,* III.
LI.	*Amelricus VVas.*
LII.	*Everardus Tſerarnts,* II.
LIII.	*Ioannes de Mol,* III.
LIV.	*Ioannes VValtheri F. vander Noot,* II.
LV.	*Theodeoricus de Mol,*
LVI.	*Amelricus VVas,* II.
LVII.	*VValtherus vanden VVinckele,* II.
LVIII.	*Philippus vanden Nuwenhove.*

Sige-

LIX. *Sigerus vanden Heetvelde.*
LX. *Ioannes de Mol*, IV.
LXI. *Amelricus VVas*, III.
LXII. *VValtherus vanden VVinckele, Miles*, III.
LXIII. *VValtherus vander Noot, Miles.*
LXIV. *Petrus Pipenpoy.*
LXV. *Ioannes Schat.*
XLVI. *Everardus, VVenceſlai F. Tſerclaes, Miles.*
LXVII. *Henricus Henkenshoot.*
LXVIII. *Amelricus VVas*, IV.
LXIX. *VValtherus vander Noot, Dominus de Ryſt, Miles*, II.
LXX. *Antonius Thoenys, Miles.*
LXXI. *Conrardus vander Meeren, Miles.*
LXXII. *Ioannes de Mol.*
LXXIII. *Henricus Henkenshoot*, II.
LXXIV. *Nicolaus vanden Heetvelde, Miles.*
LXXV. *Coſtinus de Limelettes, Miles.*
LXXVI. *Ioannes Schat*, II.
LXXVII. *Ioannes vander Meeren, Miles, Dom. de Saventhem.*
LXXVIII. *Henricus vander Meeren, Miles.*
LXXIX. *Henricus Tſerarnts, Miles.*
LXXX. *Rolandus de Mol, Miles.*
LXXXI. *VVenceſlaus Tſerclaes, Miles.*
LXXXII. *Ioannes Bernaige, Miles*, II.
LXXXIII. *Ioannes de Buyſſeghem.*
LXXXIV. *Henricus vander Meeren, Miles*, II.
LXXXV. *Rolandus de Mol, Miles*, II.
LXXXVI. *Petrus VVas, Miles.*
LXXXVII. *Henricus de Mol.*

Adria-

LXXXVIII. *Adrianus de Aſſcha* : cui ſucceſſit,
VVilhelmus Tſerclaes, *Miles*. In hujus bello capti locum,
Ioannes de Heemvliet, Miles.
LXXXIX. *VVilhelmus Tſerclaes, Miles*, II.
Adrianus de Aſſcha, II.
XC. *Hector vander Noot.*
XCI. *Ioannes van Catthem.*
XCII. *Adrianus de Drooghenbroeck.*
XCIII. *Henricus vander Meeren, Miles*, III.
XCIV. *Ioannes Elegaſti F. vander Meeren.*
XCV. *VVilhelmus van Blitterſwyck.*
XCVI. *Ioannes vanden Heetvelde.*
XCVII. *Amelricus VVas*, V.
XCVIII. *Ægidius van Aelst.*
XCIX. *VVenceſlaus Tſerclaes, Miles.*
ↀ.IↃ. *Iacobus van Houwaert.*

I. *Rolandus de Mol, Miles*, III.
II. *Ioannes de Bernaige, Miles*, III.
III. *Henricus de Mol*, II.
IV. *Ægidius van Aelſt*, II.
V. *Ioannes de Mol, Miles, Dom. de Liefferinge.*
VI. *Rolandus de Mol, Miles*, IV.
VII. *Antonius vander Noot.*
VIII. *Antonius de Grimberghen, dict. de Aſſcha.*
IX. *Ægidius van Aelſt*, III.
X. *Ioannes de Bernaige, Dominus de Moude, & Percke, Miles.*
XI. *Ioannes vander Noot.*
XII. *Antonius vander Noot.*
XIII. *Ægidius van Aelst*, IV.
XIV. *Antonius de Grimbergen, dict. de Aſſcha.* II.

Ioan-

XV. *Ioannes vander Noot*, II.
XVI. *Ægidius van Aelſt*, V.
XVII. *Antonius de Grimbergen, dict. de Aſſcha*, III.
XVIII. *Ægidius van Aelſt*, VI.
XIX. *Antonius de Grimbergē, dict. de Aſſcha, Mil.* IV.
XX. *Ioannes vander Noot*, III.
XXI. *Antonius de Grimbergē, dict. de Aſſcha, Mil.* V.
XXII. *Antonius de Grimbergē, dict. de Aſſcha. Mil.* VI.
XXIII. *Ioannes vander Noot*, IV.
XXIV. *Ioannes van Nuwenhoven.*
XXV. *Ioannes van Nuwenhoven*, II.
XXVI. *Ioannes vander Noot*, V.
XXVII. *Antonius de Grimberghen, dictus de Aſſcha, Miles*, VII.
XXVIII. *Ioannes vander Noot*, VI.
XXIX. *Antonius de Grimberghen, dictus de Aſſcha, Miles*, VIII.
XXX. *Rolandus de Mol, Dom. de Loppoignen*, V.
XXXI. *Rolandus de Mol, Dom. de Loppoignèn*, VI.
XXXII. *Antonius de Grimberghen, dictus de Aſſcha, Miles*, IX.
XXXIII. *Gaſpar de Mol, Miles, Dom. de Oetinghen.*
XXXIV. *Ioannes Cottreau, Dominus de Ghete.*
XXXV. *Gaſpar de Mol, Miles, Dom. de Oetingen*, II.
XXXVI. *Ioannes vander Noot*, VII.
XXXVII. *Rolandus vander Noot.*
XXXVIII. *Philippus Hinckaert, Miles, Dom. in Lille.*
XXXIX. *Rolandus vander Noot*, II.
XL. *Philippus Hinckaert, Miles, Dom. in Lille.* II.
XLI. *Gaſpar de Mol, Mil. Dom. de Oetingen*, III.
XLII. *Paulus de Vrſſele, Dom. de Lymellettes.*
XLIII. *Philippus Hinckaert, Mil. Dom. in Lille*, III.

Iaco-

XLIV. *Iacobus de Brigilles, Miles, Dom. de Chaſteau.*
XLV. *Arnoldus vanden Heetvelde, Miles,* I. C.
XLVI. *Philippus Hinckaert, Mil. Dom. in Lille,* IV.
XLVII. *Ioannes Pipenpoy, Miles.*
XLVIII. *Philippus Hinckaert, Miles, Dominus in Lille,* V. qui in Conſulatu obiit. Subſtitutus, *Iacobus de Bregilles, M. Dom. de Chaſteau,* II.
XLIX. *Ioannes de Locquegien, Mil. D. de Cockelberge.*
L. *Ioannes de Locquenghien, Miles, etc.* II.
LI. *Iacobus de Bregilles, M. Do. de Chaſteau,* III.
LII. *Ioannes Pipenpoy, Miles,* II.
LIII. *Ioannes de Locquenghien, Miles, etc.* III.
LIV. *Hercules de Edinghen, Miles, Dom. de Keſtergaten*: qui in Conſulatu obiit. Subſtitutus, *Iacobus de Bregilles, Mil. Dom. de Chaſteau,* IV.
LV. *Ioannes Pipenpoy, Miles,* III.
LVI. *Cornelius vander Eycken, Miles, Dominus S. Georgii, & Rivieren.*
LVII. *Iacobus de Bregilles, Mil. Dom. de Chaſteau,* V.
LVIII. *Philippus vander Noot.*
LIX. *Carolus de Brecht, Dominus de Diedeghem.*
LX. *Adrianus Taye, Dominus de VVemmele.*
LXI. *Carolus de Brecht, Dominus de Diedegem,* II.
LXII. *Adrianus Taye, Dominus de VVemmele,* II.
LXIII. *Adrianus Taye, Dominus de VVemmele,* III.
LXIV. *Antonius vander Noot.*
LXV. *Carolus vanden Tymple, M. D. de Bigaerden.*
LXVI. *Antonius van Oß, Dominus de Heembeke.*
LXVII. *Antonius van Oß, Dominus de Heembeke,* II.
LXVIII. *Antonius van Oß, Dom. de Heembeke,* III.
LXIX. *Carolus vanden Tymple, Eques, Dominus de Bigaerden,* II.

Caro-

LXX. *Carolus vanden Tymple, Eques, &c.* III.
LXXI. *Maximilianus Tſerarnts, aliàs Henkenshoot.*
LXXII. *Maximilianus Tſerarnts,* II.
LXXIII. *Maximilianus Tſerarnts,* III.
LXXIV. *Iacobus Taye, Dom. de Goycke.*
LXXV. *Iacobus Taye, Dom. de Goycke,* II.
LXXVI. *Antonius Quarré, Dom. de Salmſlach.*
LXXVII. *Carolus de Brecht, Dom. de Diedeghem,* III.

Belgio deinde turbato,

LXXVIII. *Leonardus vanden Hecke,* I.V.C.
LXXIX. *Iacobus Taye, Dom. de Goycke,* III.
LXXX. *Leonardus vanden Hecke,* II.
LXXXI. *Henricus de Bloyere, Plebejus.*
LXXXII. *Henricus de Bloyere,* II.
LXXXIII. *Henricus de Bloyere,* III.
LXXXIV. *Henricus de Bloyere,* IV.

Civitate ad obſequium Regis reductâ,

LXXXV. *Iacobus Taye, Dom. de Goycke,* IV.
LXXXVI. *Lancelotus Schets à Grobbendoncq, Baro de VVeſemale, etc.*
LXXXVII. *Lancelotus Schets, etc.* II.
LXXXVIII. *Philippus de Rodoan, Dom. de Berleghem, etc.*
LXXXIX. *Philippus de Rodoan, &c.* II.
XC. *Henricus de Dongelberghe, Dom. de Zillebeke.*
XCI. *Henricus de Dongelberghe, &c.* II.
XCII. *Ægidius de Buſleyden.*
XCIII. *Ægidius de Buſleyden,* II.
XCIV. *Henricus de Dongelberghe, &c.* III.
XCV. *Henricus de Dongelberghe, &c.* IV.
XCVI. *Franciſcus de Senfft.*

B *Fran-*

XCVII. *Franciſcus de Senfft:* II. qui in Conſulatu obiit; ejúſque in locum ſuffectus, *Antonius vander Hert.*
XCVIII. *Henricus de Dongelberghe, Do. de Zillebeke,* V.
XCIX. *Henricus de Dongelberghe, etc.* VI.
ꝏ.IↃC. *Carolus de Lathem, Eq. Dom. Curiæ S. Stephani, Bouchout, etc.*
I. *Carolus de Lathem, etc.* II.
II. *Ioannes du Queſnoy, Dom. de Steene.*
III. *Henricus de Dongelberghe, Eq. Dom. de Herlaer, Zillebeke,* VII.
IV. *Henricus de Dongelberghe, Eq. etc.* VIII.
V. *Carolus de Lathem, Eq. etc.* III.
VI. *Henricus de Dongelberghe, Eq. etc.* IX.
VII. *Iacobus vander Noot, Dom. de Kieſekem.*
VIII. *Ægidius de Buſleyden, Eq. Dom. de Leverghem, Deurne,* III.
IX. *Carolus de Lathem, Eq. etc.* IV.
X. *Henricus de Dongelberghe, Eq. etc.* X.
XI. *Henricus de Dongelberghe, Eq. etc.* XI.
XII. *Iacobus vander Noot, Eq. Do. de Kieſekem,* II.
XIII. *Iacobus vander Noot, Eq. etc.* III.
XIV. *Ægidius de Buſleyden, Eq. etc.* IV.
XV. *Ægidius de Buſleyden, Eq. etc.* V.
XVI. *Iacobus vander Noot, Eq. etc.* IV.
XVII. *Henricus de Dongelberghe, Eq. etc.* XII.
XVIII. *Ioannes Tſerclaes, Eq. Dom. de Nederockenſele, Heurne, etc.*
XIX. *Ægidius de Buſleyden, Eq. etc.* VI.
XX. *Engelbertus Taye, Eq. Dom. de VVemmele.*
XXI. *Iacobus vander Noot, Eq. &c.* V.
XXII. *Iacobus vander Noot, Eques, &c.* VI.

Frede-

XXIII. *Fredericus de Marſelaer, Eq. Dom. de Loxem.*
XXIV. *Henricus de Dongelberghe, Eq. etc.* XIII.
XXV. *Fredericus de Marſelaer, Eq. etc.* II.
XXVI. *Engelbertus Taye, Eq. etc.* II.
XXVII. *Engelbertus Taye, Eq. etc.* III.
XXVIII. *Hieronymus du Queſnoy, Eques.*
XXIX. *Hieronymus du Queſnoy, Eques,* II.
XXX. *Fred. de Marſelaer, Eq. D. de Parck, Eelewyt S. Hub. Harzeaux, Hoycke, Borre, etc.* III.
XXXI. *Iacobus vander Noot, Eq. etc.* VII.
XXXII. *Carolus de Loquenghien, E. D. de Melsbrouck.*
XXXIII. *Franciſcus de Dongelberghe, Eques, Dominus de Herlaer, Zillebeke, Raeſegem, etc.*
XXXIV. *Franciſcus de Dongelberghe, Eq. etc.* II.
XXXV. *Gerardus de Oyenbrugge, E. D. de Oyenbrugge.*
XXXVI. *Ioannes de Fourneau, Eq. Dom. de Cruyckenborch, VVambeke, Lombeke, Ternatt, etc.*
XXXVII. *Franciſcus de Dongelberghe, Eq. etc.* III.
XXXVIII. *Franciſcus de Dongelberghe, Eq. etc.* IV.
XXXIX. *Claudius vander Eycken, Eq. D. de Nederode.*
XL. *Fredericus de Marſelaer, Eques, &c.* IV.
XLI. *Claudius vander Eycken, Eques, &c* II.
XLII. *Claudius vander Eycken, Eques, &c.* III.
XLIII. *Fredericus de Marſelaer, Eques, &c.* V.
XLIV. *Franciſcus de Dongelberghe, Eques, &c.* V.
XLV. *Franciſcus de Dongelberghe, Eques, &c.* VI.

Hic ille Vir eſt, non minùs Virtutibus, quàm Faſcibus ſtipatus, qui & Septimum, & Septies Septimum Conſulatum meretur; qui, cùm Decimũ tertium in Optimo Nobiliſſimóque Parente ſuo, nullo hucuſque exemplo, numeret, obſtrictam ſibi toties Rempublicam habet.

HEPTAS I.

AD PRIMVM SEPTEMVIRVM.

DISTICHON I.

HEPTAS *ſi numen numero, ſi nomine* PALLAS,
VRBS BRVXELLA *mihi, numine* PALLAS *erit.*

LVMINA.

HEPTAS SI NVMEN.] Summa Scriptionis hujus, HEPTAS eſt, numerorum dignitas, & quædam quaſi divinitas, ipsâ vocabuli origine & ſignificatione venerabilis. Σεπτὰς enim aliquando dicta, & ἀπὸ τοῦ σεβασμοῦ : id eſt, *ab inſita majeſtate.* Sanè, vel ipsâ voce teſte, venerationem huic numero deberi, Macrobius refert, lib. I. in Somnium Scipionis, cap. VI. Huc & Martianus Capella reſpexit: *Quid autem te Heptas veneranda commemorem?* Latini quidem revocato ſibilo, tanquàm vim Etymologiæ agnoſcant, *Septem* ſcribunt: quod & à Philone Iudæo notatum, libro de Opificio Dei. Hic igitur ille numerus eſt, qui myſterii plenus, ad res omnes, & ſacras, & profanas referri ſolet, *omnium ferè,* ut cum Cicerone dicam, in Somnio, *nodus*: an modus? Cælum terrámque illuſtrat, naturam regit, tempora ordinat, hominem denique hominem facit, & Mundum Mundum. Homo quidem Animâ & Corpore conſtat. Animæ partes, ſive potentiæ, Septem ſunt: Quinque ſenſus, Sermo, ipſa Mens; quæ cùm dominatur, bellè ſe habent omnia. Etiam corpo-

corporis Septem, tam internæ & clauſæ, quàm externæ & conſpicuæ. Externæ ſunt : caput, pectus, venter, geminæ manus, geminíque pedes. Internæ; ſtomachus, cor, pulmo, lien, jecur, renes duo. In ipſo capite Septem etiam partes, ſive inſtrumenta: bini oculi, aures, nares, & os unum, *per quod*, ut Plato ait, *mortalia intrant, immortalia exeunt*. Peculiaris hîc etiam oculorum conſideratio. Quæ enim conſpectui obnoxia, Septem ſunt: corpus, diſtantia, figura, magnitudo, color, motus, ſtatus. Ipſi motus Septem : ſursùm deorsùm, dextrorsùm, ſiniſtrorsùm, prorsùm, retrorsùm, in orbem. Excrementa quoque corporis Septem : lacrymæ, mucus, ſaliva, ſtercus, lotium, ſudor, ſemen. Quid attinet omnia perſequi? homo totus Septenarius eſt: ſic formatur, ſic creſcit, ſic mutatur, ſic deſinit. Macrobii verbis dicam, loco ſignato: *Hic numerus eſt, qui hominem concipi, formari, edi, vivere, ali, ac per omnes ætatum gradus tradi ſenectæ, atque omninò conſtare facit.* Rectè igitur Cenſorinus noſter: *Proximè videntur acceſſiſſe naturam, qui hebdomadibus humanam vitam emenſi ſunt*: imò proximè ad Sapientiam, qui, ut populum dividerent, Rempublicam ordinarent, civitatem regerent, Heptadibus uſi ſunt. Ab Homine ad Mundum venio: de quo apud Ariſtotelem in Metaphyſicis Magnus ille ſciſcit Pythagoras, Ἀριθμὸν δὲ ἄλλον μηδένα εἶναι παρὰ τὸν ἀριθμὸν τοῦτον ἐξ οὗ συνέστηκεν ὁ Κόσμος: *Numerorum nullum alium eſſe, præter hunc* (Septenarium) *ex quo conſtitutus eſt Mundus.* Sic Timæus Platonis, de anima Mundi; modúmque & harmoniam hujus conſtitutionis ingenioſis numeris exponit : quos breviter Macrobius complexus eſt. Sed quid profanis inhæreo? ad Mundi natales Septenarium facere, perfectiſſimo ſex dierum opere Deus ipſe teſtatus

 eſt.

eſt. Septimum enim, quieti deſtinatum, ſanctificare voluit, & dierum, ut ſic dicam, Diem eſſe. Sacri Legiſlatoris verba ſunt: *Et benedixit diei Septimo, & ſanctificavit illum.* Hinc igitur Hebdomades L I I. annus accepit; ut quoties Septimus laterculo ſuo dies recurreret, Mundi natalis celebraretur: Dies propriè Dei, ideóque cultui divino religiosè conſecratus. Solis deinde; ſed poſtquàm Planetarum numero ordo temporis diſpungi cœpit. Ita enim exiſtimo, dierum potiùs rationem ad Sidera tranſlatam fuiſſe, quàm à Sideribus derivatam. Sed opportunè Siderum mentio; ut in Mundo Cælum contempler: quod vel maximè Septenarium eſt, & hoc numero terram temperat, ideò Cælum. Non fruſtrà igitur Septem cinctum eſſe Circulis nonnulli volunt: Arctico, Antarctico, Tropico, Solſtitiali, Brumali, Æquinoctiali, Signifero, Lacteo. Horizontem enim, & ſic Meridianum, quia alii & alii ſunt, extra numerum haberi. Sed Errantia illa Sidera, quæ retrò contrario motu Fixis obluctantur, Septem Orbibus diſtincta ſunt, & totidem Deorum nomina, ſubjectam ſibi naturam aëris terræque regentium, gerunt. Summus tardiſſimúſque, ut cum Antiquis loquar, ſed maximo gyro, Phænon, ſive Saturnus eſt, gelidi & rigentis, ut volunt, genii. Hinc ſalutaris hominum generi Iupiter. Proximè rutilus igne Mars, an Pyrœis? quem alii Herculem dicunt. Medio deinde Orbe Sol, *dux, & princeps, & moderator* (quæ Ciceronis in Somnio verba ſunt) *Luminum reliquorum, mens Mundi & temperatio.* Mox Venus, nonnullis Iuno, manè Phoſphori ſive Luciferi, veſperi Heſperi nomine, ſed ſæculo demùm noſtro deprehenſa, Lunæ inſtar, aliquando curvari in cornua, aliquando aliâ & aliâ facie lucere: quod Cæli arcanum, totum jam Planeta-

rum

rum ordinem deſtruens,divinę Lyræ ſuæ modulis Summus Sacrorum Princeps VRBANVS VIII. nuper dignatus eſt:

Hinc inde vitro per cava fiſtulæ
Vidit hæc ætas Venerem bicornem
Fulgere, Phœbes æmulam.

Mercurius ſequitur, aliis Stilbon, aliis Apollo, pari ferè cum Venere meatu, minori circulo. Luna denique, aliquid Solis exprimens, quia noctes illuminat, ut varia & proxima; ita magnam rebus omnibus perituris ambage ſuâ varietatem inducens. Atque hic in Planetis Septenarius eſt, in aliis etiam ſtellarum imaginibus conſpicuus & admirandus. Vrſa utraque, quarum altera Helice, altera Cynoſura, Septenaria eſt, & proprio vocabulo Septentriones, navigationem, magno mortalium bono, per vaſtiſſima maria dirigunt. Dixeris homines Heptadis munere familiarem ſibi Oceanum reddidiſſe. Quid Pleiades? compoſitus ille è Septem luminibus chorus? Numero benignæ ſunt, & hinc ortu, inde occaſu ſuo, nunc ſementis, nunc meſſis tempora ſignificant. Longum ſit referre omnia: ſed ſi Mundus, ac tota natura Septenaria; quidni & Civitas, quæ, ut parvus Mundus ordine ac ratione gubernatur? Scriptores plerique Græci, & Sapientiæ Interpretes, Ariſtotelem ſecuti, Septenarii Symbolo Minervam, Martem, Fortunam, Victoriam, Pacem, Adraſtiam, Copiæcornu deſignant. Quot nomina, tot ecce Palladii numinis ſignacula atque inſignia, & ad perfectum Civitatis ſtatum ſpectant. De Pace verò atque Concordia peculiariter Philo, libro de Abrahamo; qui decumanus locus eſt: Ὁ ἕβδομος ἀριθμὸς ἐν τῷ κοσμῳ, καὶ ἐν ἡμῖν αὐτοῖς ἀστασίαστος, καὶ ἀπόλεμος, ἀφιλονεικότατός τε καὶ εἰρηνικώτατος ἁπάντων

ἀριθμῶν ἐστί: *Septenarius numerus tam in Mundo, quàm in nobis ipſis à ſeditione, bello, contentione prorsùs alienus eſt, omniúmque numerorum maximè pacatus.* Civitas certè abſque Concordia ne Civitas quidem eſt: jure ac lege conſtituta; ut rixæ, contentiones, ſeditiones, aliæque Reipublicæ peſtes arceantur. Intellexit hæc arcana jam inde ab ortu ſuo BRVXELLA noſtra, & ut verè Civitas eſſet, SEPTENARIA facta; quid niſi Mundi & Cœli imago? Tam ſalutarem toto Regimine ſuo complexa numerum, cùm naſceretur, creſcere ad felicitatem potuit, & eminere. Bona nomina in hoc numero: omina erant. Inter alias quidem Vrbes nonnullas peculiari & ſeptemplici elogio celebrari ſolet Avenio in Gallia Narbonenſi, Septem ornata Palatiis, Septem Xenodochiis, Septem Monaſteriis Virorum, Septem Mulierum, Septem Collegiis, Septem denique Portis: cedit tamen, & plenam BRVXELLÆ gloriam Septenarii concedit. Quid Venetiæ, Vrbs Clariſſima, terræ maríſque miraculum? Hoc etiam numero gloriari ſolet, & hinc fortunæ ſuæ auſpicia ducere, ſcribente in Hebdomadibus ſuis FABIO PAVLINO, Clariſſimæ nuper eruditionis Viro, & cùm Patavii adoleſcens Studiorum cauſsâ agerem, mihi Amico. Ait enim: *Nomen Vrbis Septem Litteris conſtare, ſi duæ Vocales ultimæ diphthongi nexu coaleſcant: Septem oſtiis mare influere: Septem in ſinum ejus ab Alpibus flumina recipi: Majores ferè Magiſtratus omnes hoc numero conſtitui, modò ratio ſimul Principis habeatur: Regiones Vrbis, computato Reipublicæ Prætorio, Septem inveniri: Solita Comitia Septimo quoque die haberi:* denique, *Septem Publicos elegantioris doctrinæ ac Litteraturæ Profeſſores ali.* Nimirum Palladis numero, & ut totam comprehendant. Laudatur

tur ejuſdem Carmen, Septem incluſum Diſtichis, quo Septem modis cum cælo Civitas comparatur.

Non hæc humanis æquanda eſt urbibus una,
Vrbs Venetûm Septem Cælum imitata modis.
Septem errant ignes Cælo, Septem oſtia Ponti
Vrbe fluunt, totidem hîc flumina Pontus habet.
Septem immota tenent complexum climata Cælum,
Vrbs Septemgeminâ ſe regione tenet.
Bis majora Iovem ſex cingunt numina Cælo,
Ex Clavo totidem lumina in Vrbe Ducem.
Stat Cælum rapidâ vertigine utrimque rotatum,
Stat ſuper undantis fluctibus iſta maris.
Nunquam expugnatum Cælum eſt, ut ſæpè Gigantes
Aggreſſi, hæc terris non tulit una jugum.
Regnat Virgo aſtris, eadem dominatur in Vrbe.
Æternum Cælum, æterna erit Vrbs Venetûm.

Sed noſtrum oppono GRIPHVM Epigrammati, non Septenis, ſed Septies Septenis Diſtichis circumductum. Et noſtram oppono Vrbem Vrbi, Belgicam Italicæ, Mediterraneam Maritimæ, quæ nec toto potuit GRIPHO abſolvi. Reliquum eſt, ut ipſam Romam, & illam quidem Antiquam, Vrbem unam, & in qua omnes erant Vrbes, cum una hac componam. Vnam, & Magnam inclytámque, tam Palladis numero, quàm Virtutis robore, totum licet Martem complexam. Iactat ſeſe Septimâ Olympiade, & à Romulo conditam eſſe. Romulum autem, & ipſa Parilia (qui Natalis Vrbis eſt) Septem Litteris notari. Sub Septem Regibus quaſi adoleviſſe, Septem Montibus eminere, bis Septem Regionibus diſtingui, Septem Circis Minoribus ornari, Septem Aquis irrigari. Quid tamen eſt? hæc Roma, quæ

Imperium terris, animos æquavit Olympo,

æmu-

æmulam in Belgicis Provinciis Vrbem invênit : imò hæc Magna hîc jam parva eſt, quia numeri myſterio vincîtur; in quo magnitudinis omen auguriúmque collocârat. Plenam laudem ſibi BRVXELLA vindicat; & INCOMPARABILI EXEMPLO SEPTENARIA, titulum, quem præfiximus, meretur.

NOMINE PALLAS.] Heptadem Palladis nomine eſſe, & Palladem Heptadis, myſtico ſenſu Docti Scriptores exponunt. Martianus Capella, libro VI. de hac Sapientiæ Dea, de hoc Deæ numero:

In numeris Heptas, prior igni, tertia Lunæ.

Quem verſum in Muſathena mea, & libro de Biſſexto explicavi. Idem: *Quid autem te Heptas Veneranda commemorem? quæ quòd naturæ opera ſine fœturarum contagione conformas, inter Deos Tritoniæ Virginis vocabulum poſſediſti. Nam cùm omnes numeri intra Decadem poſiti, aut gignant alios, aliiſque gignantur, aut procreentur; Hexas & Octas generantur tantummodò, Tetras autem & creat, & creatur. At Heptas, quòd nihil gignit, eo par Virgini perhibetur; ſed quòd à nullo naſcitur, hinc Minerva eſt.* Macrobius libro I. cap. VI. in Somnium Scipionis: *Septenario adeò opinio Virginitatis inolevit, ut Pallas quoque vocitetur. Nam Virgo creditur, quia nullum ex ſe parit numerum duplicatus, qui intra Denarium coarctetur, quem primum limitem conſtat eſſe numerorum. Pallas ideò, quia ex ſolius Monadis fœtu & multiplicatione proceſſit; ſicut Minerva ſola ex uno parente nata perhibetur.* Planè arcanus hic numerus, neque alium rebus divinis aptiorem eſſe Pythagoras docuit. Videndus Philo Iudæus, de Opificio Mundi: qui ut Doctiſſimus eſt, ita hoc argumentum ingenioſè & facundè tractavit.

VRBS BRVXELLA.] Belgicarum Nobiliſſima, Collibus varia, Fontibus amœna, cæli & ſoli benignitas, ubi ad elegantiam & candorem naſcuntur homines, paci dediti, & bello apti, ſi injuriâ irritentur. Vt pretium loci dignitatémque æſtimes, hanc ſibi Principes ſedem elegerunt. Antiquitas in crepuſculo quaſi temporum laborat; cùm vera, ut & aliarum hîc Vrbium origo ignoretur. A Normannis fortaſſis initia: qui cùm hæc loca, & Soniam ſilvam, Herciniæ reliquias, circa annum Chriſti IↃ. CCC. LXXXV. inſiderent, injecto Sennæ ponte, hunc munire potuerint, & ſecurum ſibi reddere. Caſtrum aliquod ſtructum eſſe, veriſimile eſt. Mox partim loci aëríſque, partim temporis occaſione & tranquillitate, (dilapſis jam Barbaris) confluxiſſe incolas, Vrbémque natam eſſe. Cauſſa igitur nominis fortaſſis à Ponte & Caſtro, quaſi *Brucſel*; id eſt, Caſtrum Pontis: quemadmodum Oenipons, Tirolenſis Provinciæ Metropolis, Germanicè *Inſpruck*, à fluvio & ponte nominata. *Sel* autem, ſive *Sael* pleriſque urbium pagorúmque appellationibus adhæſit. Qui à Palude, quaſi *Broecſel*, aut aliunde derivant, oſtendere ingenium maluerunt, quàm nihil dicere. Amœnius certè à Pallade, quàm à Palude. Quia & PALLADIAM, ſive SEPTENARIAM facimus, imò quia PALLADEM; adeóque virgineo Heptadis myſterio ad priſcam originem, verámque laudem Delicium Vrbium revocamus. De nomine quicquid ſit, Bruxellam quoque Palatinatus in Brureinia exhibet, ſcribente Munſtero, lib. III. Coſmographiæ ſuæ, cap. CCCLVI. *Eſſe Brureiniam parvam quandam Ditionem, multas complexam egregias villas, earúmque caput oppidum Bruxellam eſſe: VVormatienſibus autem olim, cùm Ducem illi ſuum haberent, paruiſſe.*

paruiſſe. Parva Brureinia eſt, & audebit tamen magna eſſe, quia Bruxellam habet, & Belgarum gemmam appellatione repræſentat. Hæc noſtra gemina olim fuit, Inferior, & Superior: quemadmodum Superioris appellatio, etiam hodie in uſu.

BELGICA PALLAS.] Sive Numero, ſive Nomine. Nomen olim Vrbs Attica accepit, victo à Dea Neptuno: tantò majus meliúſque erat, Pacem dare, quàm Bellum; Oleam producere, quàm Equum. Numerum BRVXELLA habeat, & ſic Nomen; quæ in Belgio hodie, quod illa aliquando in Græcia, potens Civibus, inclyta virtutibus, & univerſæ gentis encomium una ſuſtinet. Hîc PALLAS eſt, hîc à PALLADE artes omnes, ſive mentis, ſive manûs: & quidni igitur appellatio ſequatur?

Nunc hîc Cecropiæ variis ſpectantur Athenæ
Carminibus, gaudéntque ſuâ victrice Minervâ.

DISTISCHON II.

Nomine numen habet, Septenis ſcripta figuris:
DIVVS *quot legitur*, DIVA *quot ipſa loci.*

LVMINA.

NOMINE NVMEN HABET.] Numen SEPTENARII myſterio, quod ad PALLADEM, ut dixi, refertur. Septenis enim figuris SEPTENARIA Vrbs noſtra ſcribitur, ut & ipſa MINERVA. Primâ quidem origine, ut notavi, *Brucſel*, poſteà *Bruſſel*; ſed Latinâ formatione BRVXELA, ac deinde per Epentheſin BRVXELLA. Numinis hîc vocabulum color Antiquitatis excuſet: quemadmodum in communionem Divinitatis

nitatis Vrbes, ſed eminentes veniunt, & tantùm non Deæ; in terris ſitæ, ſed quaſi cælum occupent. Sic Roma (quo uno exemplo contenti ſimus) apud Martialem:

Terrarum Dea, gentiúmque Roma,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum.

Hinc & Aræ; imò Inſcriptiones: ROMAE. ET. AVG. CAES. Item: ROMAE. ÆTERNAE. ET. FATO. BONO. Vt hæc ſunt, BRVXELLAM non poſſum niſi Romam Belgicam appellare. Sed ſi Aram quoque erigere fas eſt, & Vrbis hujus, & PALLADIS nomen, ipſúmque hunc adeò GRIPHVM inſcribam.

DIVVS QVOT LEGITVR.] Vrbis Tutelaris, ſive Genius, D. MICHAEL, SEPTENARIVS eſt: Heptade enim Litterarum conſtat. Sic ipſe Geniorum hominúmque Rex ὁ ΧΡΙΣΤΌΣ καὶ ὁ ΜΕΣΣΊΑΣ, qui ne ſcribi quidem debuit, niſi ut plenitudo quædam divinæ in homine, & humanæ in Deo naturæ notaretur. Sed MICHAEL, tanquàm primus Princépsque inter cæleſtes Genios: ut inter alias Belgicarum Provinciarum Vrbes BRVXELLA, eminet. Sunt etiam non hominum tantùm; ſed regionum, urbium, domorum, locorúmque Genii divinitùs quaſi cuſtodes dati, & religione electi, ad mala & ſcæva quæcumque feliciter averruncanda. Suum quidem BRVXELLA jam ab antiquo coluit, & eo conſtanter loco, ubi D. GVDILÆ templum, ut hodie ſpectatur, ædificatum eſt. Ædificatum autem anno ∞.XLVII. à Balderico Comite: qui ex inſula, & æde Gaugericiana in hunc collem corpus Divæ ſolenni pompâ tranſtulit, & verè evexit. Structura mutata eſt, Tutela manſit; & vicinum ſibi adhuc Sacellum D. MICHAEL habet, pietatis eò


tempore naſcentis ſplendidas anguſtias velut adumbrans. Hinc Inſignia Vrbis, imago Genii armati, & victoris, rubente quaſi lumine circumſcripta, ſanguinis umbram exprimens. Sat ferienti ſimilis, & in ſubjectum pedibus hoſtem, tanquàm defendere Civitatem videatur, clypeo protectus, gladium vibrat.

DIVA QVOT IPSA LOCI.] In Tutelæ conſortium D. quoque GVDILA venit, antiquitùs GOEDELA, Septémque elementis ſcribi ſolita, vernaculè *Goedele*, ut ſacra monumenta atteſtantur. Simpliciùs *Goedeel*, id eſt, bona pars, vel bonam partem ſortita: niſi ad *Heil*, ſive ſalutem referre malis. Hoc nomen Divæ: ipſa nónne breviter dicenda? In finibus Brabantiæ nata, Patrem Wilgerum Comitem, Matrem S. Amelbergam, quæ Soror fuit Pipini Landenſis, Avum verò maternum Carolomannum habuit; Fratrem Ablebertum, ſive Emebertum, Cameracenſem Epiſcopum; Sorores Reinildim, Pharaïldim, Ermelindim, vitæ omnes ſanctitate inſignes. Ita Chronicon Cameracenſe, enotante Clariſſimo V. Auberto Miræo, Amico nuper noſtro, & talium curioſo: *Ablebertus ex Brachbatenſi pago oriundus, parentibus & vitæ & generis raritate Clariſſimis: patre videlicet VVilgero Comite, ſancto viro, atque Amelbergâ matre editus eſt. Cujus etiam quatuor ſanctæ ſorores fuêre hæ: Reinildis, Sarachildis ſeu Pharaïldis, Ermelindis, beatiſſima quoque Gudila, junior ætate, ſed non minùs præſtantior ſanctitate.* Pipinus autem Landenſis, qui circa annum IↃC. XXV. Præfectus fuit Regiæ ſub Lothario & Dagoberto Francorum Regibus, ex Iduberga liberos tulit, Grimoaldum, S. Gertrudem, Fundatricem Nivellenſem, & S. Beggam Andennenſem. Hæc nupta Anſegiſo,

ſegiſo, Pipinum dedit Herſtallium, è quo Martellus, Pipini Brevis Pater, Caroli Magni Avus. Sed GVDILA è ſacro Fonte à S. Gertrude ſuſcepta, educata deinde & inſtituta, tenello corpore, maturo animo, contemnere humana cœpit, ac ſe totam Amori divino mancipavit. Gertrude poſteà è vivis ſublatâ, domum & ad parentes rediens, vitam ſeverâ pietatis lege exercuit, tota in precibus, vigiliis, jejuniis; ſub noctem ſolita, lucernam gerente pediſſequà, ad templa & loca ſacra ſe conferre, mentem ad Deum in quiete illa attollere, Divorum memoriam colere, cæleſtia ubique meditari. Vt brevem contemnere vitam potuit: ita ad æternam tempeſtivè tranſlata eſt. Virgineum cadaver Hammæ tum quidem (qui ad Teneram fluvium, non procul Aloſto, vicus eſt) non ſepultum, ſed depoſitum, mox ad alia & alia devectum loca, non unum monumentum ſortiri meruit. Caroli igitur Magni tempore, cùm magis magíſque memoria Virginis etiam miraculis inclareſceret, Mortiſellam latum eſt, & Sanctimonialium inibi ſtructo Cœnobio honoratum. Poſteà, Wenemaro (loci is Dynaſta fuerit) prædia Divæ occupante, cultus intermiſſus. Sed Carolus Lotharingiæ Dux, anno C ∞.LXXX. pietate motus, neglecto theſauro ditare Bruxellam voluit; imò Aulam ſuam voluit, quam in hac Vrbe tum temporis, & in inſula Sennæ habebat. Religio pompam invênit: additi Sacrorum myſtæ ac miniſtri, fundi, vectigalia; atque in ipſa S. Gaugerici Æde, Aulæ proxima, coli D. GVDILA novo fervore cœpit, quaſi jam tum tutelæ oppidi deſtinaretur. Non ſine miraculo tranſlationem iſtam factam eſſe, è Chronico Manuſcripto didici, quod penes Nobilem Virum & Equitem FERDI-

NANDVM SPOELBERGIVM, Lovanioli Toparcham, virtutes & elegantias felici quiete complexum, aſſervatur. Quæ huc faciunt excerpere ac repræſentare lubet: CAROLVS *verò Lotharingiæ Dux, ac Heros Franciæ, pro nihilo ducens damna terrarum, felici commercio gaudet ſe cæleſtem ſuſcepiſſe theſaurum, quem cum debito honore in Eccleſiam S. Gaugerici Bruxellenſis, domui ſuæ vicinam, intulit. Et, quid ſibi ceſſiſſet boni, geſtiens probare oculis, temerè, quamvis devotè, aperuit thecam Virginis: ſed mirum dictu, Eccleſiam totam repentè nebula circumfudit, omnémque diurni luminis aſpectum in nocturnas tenebras permutavit. Oculos præſentium caligo recondidit, atque ſic ab incepta temeritate Dei providentia retraxit. Saniori interim Dux innitens conſilio, ſe, bonâ cum aliquantulâ Fidelium plebe, in contritione carnis & ſpiritûs coarctavit triduo; ut quod faciendum tanta perſuaſit temeritas, ſumma quæ vincit omnia, impetraret humilitas. Et jam tertius dies illuxit, Princépſque ad loculum B. Virginis cum Sacerdotibus ac thymiamate acceſſit, thecam aperuit, & quod deſiderabat vidit, invocatáque Dei majeſtate, clauſit, ac ſigillo ſignavit. Poſteà verò quandam partem villæ, quæ vocatur Molenbeca, juxta Bruxellam, S.* GVDILÆ *tradidit, & ſex familias addidit, & alia quamplurima altaris veſtimenta donavit. Et illìc Virgo ſancta cum magna veneratione quievit, uſque ad tempora Comitis Lamberti, qui cognominatur Baldericus, & fuit filius Gerbergæ, filiæ hujus Caroli Ducis, & ſic ex filia nepte. Hoc contigit anno* D. CCCC. LXXVIII. Carolus hic quidem, qui *Dux Lotharingiæ* dicitur, & *Heros Franciæ*, Lotharii Regis frater, Ludovici Quarti filius, poſt mortem fratris, ſine liberis extincti, jure, ſed

fruſtra



D
B
A
E
A Baſilica D. GVDILÆ.
B Sacellũm S^mi SACRAMENTI MIRACVLOSI.
C Sacellũm S^ma TRINITATIS.
D Sacellũm D. MICHAËLIS: ARCHANGELI.
E Sacellũm SANCTÆ GERTRVDIS.
Pag. 29.

fruſtra Regnum petens, ab Hugone Capeto rejectus, captúſque periit. Poſteà verò Lambertus, cognomento Baldericus, Lotharii è Gerberga filia nepos, Majorum exemplo pius, D. GVDILÆ corpus è Gaugericiana Æde in S. MICHAELIS extulit, templum ipſum auxit & ornavit, Sacerdotum Collegium inſtituit, liberalitérque dotavit, anno, ut ſacri calculi exhibent, ∞. XLVIII.

DISTICHON III.

Egregiis Vrbs Clara Viris, Virtutibus, Armis,
Moribus, Ingeniis, Artibus, atque Opibus.

LVMINA.

CLARA VIRIS.] Primi ſunt, qui Septem familias Patriciorum condidêre, ipſi Septem; quaſi lumina quædam in nocte illa temporum novæ Vrbis, aut certè renaſcentis, ſive initia, ſive incrementa, de quibus mox dicturus ſum. Alii, aliíque ſubſecuti, partim Pace, partim bello, oppidúmque ſuum, an dicam cælum? velut ſtellæ ornant. Infinitos propemodum eſſe, qui Bello excelluerunt, Nobilitas indicat, in hac præ cæteris urbibus florentiſſima ſemper, & ſingulari Libro dicenda. Pacis ſtudia, quæ animi & ingenii ornamentis ſurgunt, non poſſunt hîc à PALLADE ſua ſemoveri. Nam etſi plures ſunt famâ ſuâ digni; Septem tamen præcipui, & qui omnem numerum excedunt: *Ioannes Ruysbroecius, Thomas Cantipratanus, Ægidius Faber, Andreas Veſalius, Iudocus Badius, Andreas Maſius, Iuſtus Lipſius*, partim in Vrbe, partim in municipiis, Vrbi ſubjectis, nati.

VIRTVTIBVS, ARMIS.] Vbi Viri, etiam Virtutes ſunt; ſed ſi Viri, id eſt, ſi fortes & boni. Boni Virtutibus, fortes Armis. Quæ reliquæ hîc ſequuntur ſive animi, ſive fortunæ dotes, *Viris, Virtutibus, Armis*, ſive ut comites accedunt, ſive ut filiæ ex his naſcuntur: *Mores*, inquam, *Ingenia, Artes, Opes*. Mores hîc omninò Belgici, ad Civilitatem, Candorem, Humanitatem quaſi facti. Ingenia, ornamenta quædam Reipublicæ, præſertim accedente ad naturam cultu. Artes omnis generis, peculiari tamen bonitate ac laude, quibus Arma & Aulæa elaborantur. Opes demum, quæ hîc etiam ſolidæ, ex agris, paſcuis, mercibus; & vel ad uſum neceſſariæ, vel ad honeſtum ſplendorem. Satis ſic iſta: ſatis, *Claritatem* Vrbis HEPTADE conſtitui, *Virorum, Virtutum, Armorum, Morum, Ingeniorum, Artium, Opum*.

DISTICHON IV.

Vnio, Lux, Radius, Splendor, Flos, Gemma, Corona:
Vna, Aulæque capax, atque adeò AVSTRIACÆ.

LVMINA.

VNIO.] Septem hæc etiam, totidem verbis, quaſi imaginibus, Vrbis Elogia ſunt. Magna, ſed vera; plura, & propria, & conjungi apta. Initium pretium eſt, quia *Vnio*: finis perfectio, quia *Corona*: proprietas media, & Luce, Radio, Splendore ridet; Flore, & Gemmâ decoratur. Iam verò Septem hæ imagines, ſi enumerata Septem Claritatis inſignia recipiant, rectè SEPTENARIAM Vrbem noſtram *Virorum* eſſe *Vnionem* dixeris, *Virtutum Lucem*, *Armorum Radium*, *Morum*

Splen-

Splendorem, Ingeniorum Florem, Artium Gemmam, Opum Coronam.



VNA, AVLÆQVE CAPAX.] Cùm *Vnam* dico, ſingularem & eximiam dico: ſed Vna omnium laudes ſuo quodam Genio feliciter exprimit: cùm *Au-*

læ capacem, omnia dico, quæ unam aliquam ad ſummam & civilem felicitatis gradum attollant. Etenim ubi Aula, Fortuna eſt; ubi Princeps vel Gubernator, Aula eſt. Ille tamen, quamvis ubique Dominus, non tamen ubique habitat, corpore in uno duntaxat loco, imperio ubique. Seligere Vrbem ſolet, quæ vel in meditullio Provinciæ ſita eſt, quaſi circulo circumſcripta, vel luculentis inſtructa rerum ſubſidiis præſentiam Principis mereatur. BRVXELLAM unam Aulæ maximè aptam eſſe, Carolus ille, quem dixi, Lotharingiæ Dux, ab ultima quaſi rerum noſtrarum memoria teſtatus eſt, electâ tum temporis in domicilium ſibi Sennæ fluminis inſulâ, non procul eo loco, ubi templum etiamnum D. Gaugerici. Quid Comites deinde? tot velut Caroli fuêre. Quid Duces? ut Fortunâ, ſic & Aulâ, priùs Lovanii, deinde Bruxellæ ſurrexêre.

ATQVE ADEO AVSTRIACÆ.] Ingens inter Aulam, & AVSTRIACAM diſcrimen eſt: haud aliter, quàm inter domum, & Aulam. Habitârunt hîc igitur alii Principes, hi vel maximè, Burgundicam ad ſe trahentes pompam, ſplenduerunt: ſuis quidem initiis nuptiiſque Maximilianus, poſteà Imperator: tum Philippus Hiſpaniarum Rex, cognomento Pulcher: inde Carolus V. Imperator, Philippus Prudens, Albertus Pius cum Iſabella Clara Eugenia optima Heroïnarum: quos omnes Orbis terrarum ſuſpexit, BRVXELLA complexa eſt. Orbis, ut Principes maximos; BRVXELLA, ut Benigniſſimos Cives. Lare Cives erant, & qui ſupra alios, cum aliis tamen habitabant, quâ poteſtate, eo affectu, & familiaritate. Nuper etiam, ut ipſe tandem adeſſe Philippus Rex Magnus videretur, Sereniſſimum Fratrem ſuum Ferdinandum miſit, Purpurâ


AVLÆ BRVXELLENSIS FORMA INTERIOR

purâ inſignem, & ſic quaſi Regem. Miſit, & tanquàm à ſe non dimitteret. Venit hic etiam, & quaſi Aulam non mutaret; invenit, quam reliquerat; & hanc noſtram brevi vitâ, triſtiſſimâ morte nobilitavit. Præcipua verò ſtructuræ ornamenta à Ioanne III. ſunt, à Philippo Bono, à Carolo V. ab Alberto Pio, & poſt hujus obitum, ab ipſa auguſtiſſimæ memoriæ Iſabella. Capit igitur BRVXELLA Aulam; nec hoc ſatis, AVSTRIACAM. Capit, nec tamen capit. Orbem in Vrbem muta, & hæc demum tantæ familiæ Aula, Domus, Habitatio erit; hæc totam illam Magnitudinem, Mundo parem, complectetur.

AVSTRIACÆ *Gentis grandes mirare Penates,*
Sunt alibi Regum limina, at iſta Deûm.
Lumina ubique vides, à tergo frontis honores:
Vna Domus Mundi eſt, Mundus uterque Domus.

DISTICHON V.

Vrbs Vna, Vrbs Omnis, quæ Térque Quatérque beata,
Vna potis Septem Sceptra fovere ſinu.

LVMINA.

VRBS VNA, VRBS OMNIS.] Habet enim hæc ſola, quod reliquæ ſimul omnes; quaſi compendium decúſque aliarum. Habet, quod ne quidem reliquæ: *Aulam*, ut dixi, *adeóque* AVSTRIACAM; quâ Regia Conſilia, & Provinciarum omnium Belgicarum Adminiſtratio continetur. Habet Principem, aut eum, qui Principis loco præeſt omnibus. Denique habet, quæ GRIPHO, velut nodo, conſtringuntur.

TERQVE QVATERQVE BEATA.] Verbo uno,

uno, SEPTENARIA; & ſic ſæpiùs, vel potiùs plenè Beata. Virgilius formulâ iſtâ ad hunc modum uſus:

——————— *O térque quatérque beati,*
Queîs ante ora patrum Trojæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere!

Et anteà Homerus:

Τρὶς μάκαρες καὶ τετράκις οἱ τότ' ὄλοντο.

Sic Poëtæ paſſim. Sed hæc Septenarii natura, conditio, & prærogativa, plena miraculis, quæ ex ipſa numeri conſtitutione cumulantur. Si partes examinas, vel ex uno & ſex, vel è duobus & quinque, vel è tribus & quatuor conficitur: quæ profectò compagines plenam ſingulæ perfectionem includunt. Prima quidem Monadem & Senarium exhibet, gemino myſterio: Monas enim & fons & origo numerorum eſt, nec non imago Dei. Senarius autem, quia ſuis conſtat partibus, ſextâ nimirum, tertiâ, dimidiâ, Perfecti titulum obtinet. Vnum enim Sexies ſumptum, duo ter, tria bis, Senarium implent. Iam verò adde unum, duo, tria, idem tibi numerus conſurgit. Secunda compago Dyade & Quinario conflatur. Dyas autem, quia Mundum ſequitur, primus eſt numerus, primúſque Monadis fœtus. Hinc duo rerum principia, Materia & Forma; duæ Mundi partes, Cælum & Terra; duo Sobolis auctores, Mas & Femina. Quinarius, quia è primo numero pari, primóque impari componitur, maſculino, inquam, & feminino, conjugium denotat, legitimum vitæ civilis vinculum, & felicem humani generis propagationem. Tertia denique compago (hîc imprimis expendenda) Triadem & Quaternarium habet, myſticè autem Mercurium & Philologiam denotat, ut eſt apud Martianum Capellam. Ex his Trias, quia principium, medium,

dium, finem habet, naturâ ſuâ plenus eſt, ſolitúſque ad animam, tribus abſolutam partibus, referri; quarum prima Ratio, ſecunda Animoſitas, tertia Cupiditas. Sed Quaternarii perfectio cùm in Elementis eluceat, corporea eſt; ubique tamen & ſacra, & ſolida, & Doctorum contemplatione digna. Hunc etiam numerum Pythagoras jurisjurandi religione veneratus, Τετρακτὺν appellavit. Videndus Macrobius lib. I. in Somnium Scipionis, cap. VI. Hæc de Septenario cùm ita ſint, & ſuffragio Antiquitatis nitantur; opinionem Viri Docti & nuperi, locum Virgilii *térque quatérque* ab omni arcana ſignificatione removentis, negligere mihi liceat. *Numerum finitum hîc pro infinito poni*, credant Grammaticorum filii: Prudentium ego laudo, quem & malo ſequi:

O ter quatérque, ô Septies
Beatus Orbis incola.

SEPTEM SCEPTRA.] In rebus vel conditione magnis, vel occaſione raris, non modò conſilium quo fiunt, ſed & caſum, admiramur. Caſus fuit, & ad SEPTENARIVM certè facit, Vno fuiſſe tempore in hac Vrbe, imò in hac Aula, quà Reges, quà Reginas, Septem numero, ſtirpe, virtute, & fortunâ Maximos: Carolum V. Imperatorem, Regum quaſi Regem; Philippum ejus filium, Hiſpaniæ Regem; Maximilianum Ferdinandi filium (qui deinde Imperator) Bohemiæ Regem, cum uxore Maria, Caroli V. filia, Regina; Leonoram, Emanuelis Luſitaniæ Regis, ac deinde Franciſci I. Galliæ Regis viduam, Reginam; Caroli V. Sororem; Mariam Hungariæ Reginam, item Sororem; poſtremò ex Africa Muleaſſem, Beleſiæ Regem. Auguſtiſſima hæc quædam Septem Regum, imò tot Coronarum quaſi Corona eſt, Cæſareis ſimul radiis illuſtris. In una illa

Maria,

Maria, Hungariæ Regina, Septem Imperatores invenias: quæ Abneptis Frederici fuit, ſed Imperatoris; Proneptis Maximiliani, ſed Imperatoris; filia Caroli V. ſed Imperatoris; Nurus Ferdinandi, quem & Patruum habuit, ſed Imperatorem; Vxor Maximiliani II. Mater Rudolfi II. & Matthiæ, ſed Imperatorum. Contulit ſecum hoſce Bruxellam titulos, inter Reges plùs quàm Regina, inter Imperatores ſæpiùs Imperatrix. O nobilem igitur illum, & non unius Solis annum, qui exemplum nobis tam rarum ſuppeditavit. Fuit verò ∞. IↃ. LVI. continens CC. XXII. Septennia, annos duos: dignus in Æternitatis templo, & clavo quidem trabali, milleno, octiéſque Septeno figi ac notari. Celebre quin etiam in Suburbano, & admirandæ amœnitatis Monaſterio Viridivalle ingens illa nuper adhuc Tilia erat, ſub qua Regia illa Septem diadematum majeſtas, ruris auram captans, conſedit, & obumbrari ſuſtinuit. Quo quidem tempore, quanta eſſet BRVXELLA, & quid poſſet, ipſa commonſtravit,

Vna potis Septem Sceptra fovere ſinu.

id eſt, hoſpitio complecti. Sceptra, inquam, ſive Reges; ne de aliis Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, aliíſque qui aderant, dicam. Ingens præterea multitudo hominum erat: & præter homines, equi novies quaſi mille, quot exercitui, etiam magno ſufficerent. Mirari licet, imò effari licet: Vrbem in regionem, hoſpitia in caſtra quaſi commutata eſſe. Majori etiam pompâ venire tot Reges poterant, minori comitatu Aulæ obſequium non conſtabat. SEPTENARIVS erat, ſed fortuitus: ut plenus autem nnmero eſſet, multitudinem adſcivit. Septem hìc tum etiam Equites Aurei Velleris aderant; quorum agmen ipſe Carolus V. Summus Ordinis

dinis Præfectus ducebat. Ille Cæſar, Rex, Archidux, Dux, Princeps, Comes, Dominus: quos unus titulos omnes, in uno Cæſaris nomine Magnus, in omnibus Cæſar, geſſit. Iam verò, quemadmodum uno eodémque tempore Septem hîc ſimul partim Reges, partim Reginæ fuerunt; ita Septem annos una Regina, Regis unius mater, duorum ſocrus, MARIA MEDICÆA Chriſtianiſſima hîc in exilio ignorare exilium potuit.

DISTICHON VI.

Arces hîc olim Septem, Septémque Dynaſtæ,
Commune imperium quos penes Vrbis erat.

LVMINA.

ARCES HIC OLIM SEPTEM.] Palatia, ſive, domus inſigniores è latere aut lapide, cùm plebeja eo tempore ædificia (niſi caſas malis appellare) aut lignea eſſent, aut macerie conſtarent. His etiam Arcibus ſingulæ ſingulis Portæ Vrbis obnoxiæ erant; ut Septemplici poteſtate Septem diſtinctæ Regiones gubernarentur. De numero nemo dubitet, cùm manifeſta adhuc ſigna, imò reliquiæ ſuperſint; ſed & nomina ipſa memoriam bonâ fide retineant; quæ recenſeo, ordine, non ordine: *Canterſteen*, *'t Serhuyghsſteen*, *Maximiliaenſteen*, *Valckenborgh*, *'t Southuys*, *'t Paeyhuys*, *Plattenſteen*. An & explico? *Canterſteen*, quaſi Canteri Lapis, quo nomine unus è Sleuwiis fuit: eo in loco, ubi domus hodie Principum Ligneacorum. *'t Serhuyghſteen*, Hugonis Lapis, in angulo fori Magni. *Maximiliaenſteen*, Maximiliani Lapis, in vico Montano. *Valckenborgh*, Falconis arx, ad torrentem Calcea-

riorum. *'t Southuys*, Salaria domus, juxta templum S. Nicolai. *'t Paeyhuys*, decidendarum litium domus, ibidem. *Plattenſteen*, Planus Lapis, non procul templo S. Gaugerici. Lapis hîc igitur, ut jam notavi, Domus erat, ſed eximia inter reliquas, quæ viliores, & plus naturæ, quàm artis haberent. Poſtquàm opes auctæ, pelli ſtructuræ ruditas cœpit, ingenioſâ induſtriâ elegantiam ac ſplendorem invehente. Nimirum hîc factum, quod ubique, & *poſt caſas*, ut Vitruvius ait, lib. II. cap. I. *domus fundatæ ex latericiis parietibus, aut è lapide ſtructæ, materiáque & tegulâ tectæ, perſici cœperunt*. Hodiernam ſi inſpicias Vrbis faciem, & cum antiqua conferas, pulchritudinem, atque magnificentiam admireris. Quot ferè domus, tot jam Arces ſunt: putes ubique Dynaſtas habitare.

SEPTEMQVE DYNASTÆ.] Quemadmodum Arces Septem, ſic & Dynaſtæ, tanquàm Vrbis Domini. Quippe cum δύνασι erant, id eſt, cum imperio ac poteſtate: quemadmodum hoc apud Antiquos vocabulum in uſu. Erant Palladis numero: Septem, tanquàm Vnus: quia

COMMVNE IMPERIVM.] Sic temperatum, ut ad ſalutem omnium referretur. Septenarium, ſive Palladium voces, Palladíſque artibus prudenter, imò ſapienter habitum. Quale fuerit, adhuc numero ſuo Septemviri indicant, officio exprimunt, honore adumbrant. Niſi quòd annui, & à Principe conſtitui ſoliti, adhuc Dynaſtæ quodammodò ſunt; ſed ſub Vno, & Magno Dynaſta; qui Vnius imperium ſic quoque commune facit.

DISTI-

DISTICHON VII.

Ecce tibi HVGONES, RVDOLPHI, *& nomina ſumpta*
A RIVO, *à* GLADIO, MONTE, LEONE, VIA.

LVMINA.

HVGONES, RVDOLPHI.] Septem Dynaſtarum nomina, in Familiis videmus, inde propagatis. Sunt, TSERHVYGHS, quaſi Heros Hugo; vel *Tſerhuyghs-kindt*, Hugonis puer; vel etiam *Lilia*, ab Inſignibus. TSERROELOFS, Heros Rudolfus. ROODENBECKS, Ruber Rivus. SWEERTS, Gladius; vel *Lanças*; vel etiam *Landaes*, à Familia quadam Nobili. Malunt alii *Hoſpitem* ſignificari. COVDENBERGHS, Frigidus Mons; vel Caſtra, Scuto expreſſa. SLEEVWS, Leo. STEENWEEGHS, Lapidea Via; vel Platea; etiam *Conchæ*, ab Inſignibus. In Catalogo, qui Principi quotannis ad eligendos Septemviros offerri ſolet, alius ordo. Primo enim ſcribitur loco Familia Primi, eo anno Septemviri, Magiſtratu abeuntis; ſecundo Secundi, tertio Tertii: & ſic deinceps. Sed ſi duo, aut plures ex una eadémque concurrunt Familia, una illa obtinet. Sic verò, deficiente Heptade, quæ deſunt, ſive una, ſive plures, ordinem ſervant, in Codice Iurisjurandi expreſſum; qui primo loco Sleuwios, ſecundò Sweertios, deinceps Hugonios, Coudenbergios, Steenwegios, Rudolphios, Roodenbecios repræſentat. Verumenimverò, ne quid controverſiæ ſit, Heptagono cenſeo inſcribendos eſſe: ita omni omnes loco erunt.

HEPTAS II.

AD SECVNDVM SEPTEMVIRVM.

DISTICHON I.

Inde tribus Septem, prætextæ lumina; SEPTEM
Patriciâ inſignes Nobilitate VIRI.

LVMINA.

TRIBVS SEPTEM.] Antiquitas Vrbis, Dignitas Curiæ, Splendor Nobilitatis, Septem Illuſtres Familiæ ſunt, quæ Patriciæ appellantur. Septem, inquam, & plures tamen putes; quia pari jure in nomen & jus Majorum etiam feminæ ſuccedunt: priſco hîc quodam privilegio, quaſi Viri. Quia Nobiles, etiam Maritos nuptiis Nobiles reddunt; quia Patriciæ, Patricios, & Reipublicæ capaces. Putes etiam in dotem familiam ac nobilitatem adferri. In aliis igitur, aliíſque familiis, Septem uſque ſunt; & quamvis intermoriantur, vivunt. De Nominibus ſingularum ſatis jam dictum: Inſignia, ſicuti publicè privatímque pingi coloribus ſolent, verbis repræſento. Sunt Galeæ, ſunt Scuta, ſunt Figuræ, Scuta utrimque ſuſtinentes; quæ an rectè Atlantes, ſive Telamones vocentur, alii viderint. Galeæ igitur tutulos ſuos, ſive ornamenta habent; Scuta, quæ in dexterum latus omnia propendent, alias, aliáſque imagines, partim Auro, partim Argento, partim colore Cæli, & Sanguinis diſtinctas.

HVGO·

SEPTEM FAMILIARVM INSIGNIA.

Colles Roma ſuos jactat, Septem Oſtia Nilus,
Aſtra micant totidem lucidiora Poli:
BRVXELLA *& Nilus, Cælúmque, & Roma Brabantis,*
Progenies Septem convenienter habet.

H. D. D.



HVGONIANA igitur Inſignia (ut ordinem Carminis mei ſequar) inter Silvanum clavâ armatum, nudámque Nympham, terna Argentea in ſcuto Cæruleo,

trigono ſitu Lilia oſtentant. Galea quatuor feneſtellis patens, cucullo Cæruleo, laciniatim dentato, tegitur: coronâ inſuper Aureâ redimita, apice Lilium, & tanquàm è Scuto deſumptum, ſuſtinet.

RVDOLPHIANA, inter Mulieres duas ſtolatas, novem laterculos Candidos, Purpuræ inhærentes gerunt, quaternos ſummo ordine, ternos medio, binos imo. Galeæ ſimiliter feneſtratæ caput humanum Purpureo coopertum cucullo inhæret, ex epomide, ſive paludamento Cæruleo, collum extollens.

RODENBECIANA, inter Mulierem Puniceo colore ſtolatam, ac Leonem, in Argenteo campo rivum ſanguineum, ac ſinuoſo alveo tranſverſum fluentem, exhibent. Galea hîc quaſi adverſa & ſimplex, dexteris ſiniſtríſque feneſtellis patens, ſubrectas è cono faſcias duas, ſcuti colore diſtinctas, emittit.

SWEERTIANA, inter geminos Satyros, Cruentatas quinque ſpathas per Argenteum lucis ſpatium, dextrorsùm vibrant. Galea, præter fiſſuram tranſverſam, feneſtellas ſuas habet, Sanguineóque cucullo operta, ſpiram coronæ loco Rubris Argenteíſque faſciis contortam gerit, cui pileus turbinatus, & ſcuti ſpathis depictus inſiſtit.

COVDENBERGIANA, inter duos Leones, tres Argenteas in Coccineo fundo turres, portis Cæruleis, & triquetro ſitu repræſentant. Galea, & ſpira, ut illæ Sweertiorum; ſed cucullus ſupernè rotundus turrim, è qua gemini ſerpentes ſuis ſe ſpiris evolvunt, ſuſtinet.

SLEWIANA, inter Faunum & Leænam, in campo Purpureo Leonem Argenteum, linguâ & unguibus Cæruleis, dextrorsùm velut ad pugnam erigunt, Galea colore ſcuti cucullata, fiſſurámque decuſſatam gerens, & Aureâ

Aureâ coronâ redimita, emergentem inde pectore tenus Leonem effert.

Denique STEENWEGIANA, geminos inter, Aureóſque Gryphos, quinque Argenteas quincunciales conchas, fundo inhærentes Rubro, continent. Galea ſpirâ cincta, ut in Coudenbergianis & Sweertianis: ſed in faſtigio caput viri pennis criſtatum eminet, chlamyde coccineâ ſtrictim collum ambiente, quæ à ſpira deinde per galeam ſe laxans, laciniâ dentatâ dependet.

Inſignia ſic ſe habent, rudia utcumque, ut Antiquitatem notes, & quemadmodum ante ducentos jam annos in templo D. GVDILÆ poſita, & nuper etiam conſpicua erant; duobus etiam hinc inde ſtipata Equitibus, qui armati & chlamydati vexillà ſua ſubrigebant. Sanè quia in templo, ſacra quodammodò; & quia in vitro, ut mos eſſe ſolet, lucere viſa ſunt. Imò verò, quia in templo, alibi quoque merentur poni, & conſpici; quia in vitro, frangi potuerunt. Marmori igitur & æri incîdenda, ut diuturna ſint; commendanda chartis & libris, ut ubique videantur, & innoteſcant. Ego quidem brevi ac ſimplici nuper Epigrammate, & Curiæ, & Familiarum laudem complexus ſum: quod, non quia tanti eſt, ſed quia affectum meum indicat, adjungo.

CVRIA *Septènis celebrat ſua Stemmata Signis,*
Patricium priſcâ Nobilitate decus.
Hinc Septémque Viri, & Tribuum Septena poteſtas,
Et Septem fulgent omnia STEMMATIBVS.

Famæ quoque pretium ſit, in publicum proferre conſpectum Civium fugacem hanc nobiliſſimæ originis memoriam; & Septem Familiarum Inſignia frontiſpiciis Septem Domorum, quà reliquæ ſunt, inſerere; adſcriptis quoque titulis elogiíſque, partim Latinis, partim

Vernaculis, quibus ſingularum olim indicentur Domini, imò vindicentur. Ita enim nova vetuſtatis ornamenta populus adſpiciet: in ruinis, aut magna ex parte collapſis ædificiis admiraturus ſupereſſe incunabula ſua, & in Septem Arcium quaſi umbris Vrbem, Vrbíſque gloriam ſplendere.

PRÆTEXTÆ LVMINA.] Dignitas hæc Patricia eſt, & Septem Tribuum propria, clara ab antiquo, & tanquàm primos Septem Dynaſtas referat; in Republica hactenus, & ab ipſis quoque Principibus æſtimata. Inſigne Caroli Bellicoſi Diploma eſt, anno datum ∞.CCCC.LXIX. IX. Kal. Auguſti, quod in Archivis Vrbis aſſervatur. Is ſingulari Patricios encomio dignatus, *Equites eos*, *Scutiferos*, *præſtantioríſque notæ Viros*, *& de ſe benè meritos* agnoſcit. Sed Patricios eſſe, ſatis etiam non erat, niſi & vitæ decus, & fortunæ ſplendor, aliæque conditiones accederent; de quibus idem Carolus Diplomate ſuo: *Neminem in Scabinum eligi poſſe, niſi majori Familiæ parte in territorio Vrbis habitet, rituum ac Religionis Chriſtianæ obſervans, & Fortunæ bonis abundè inſtructus. Quocircà ad hoc munus admittendos non eſſe, niſi boni nominis ac famæ viros; quorum facultates Sexcentis ſaltem Aureis, vel cenſus annuus quinquagenis* (quod luculentum eo tempore peculium) *æſtimetur.* Prætereà: *Ad electionem neminem admitti, niſi in ipſa Brabantia Sedem ac familiam habeat. Ideóque jurejurando abſolvi, quo ſe obſtringere Patricii omnes ſolent, Electioni ſe interfuturos.* Hæc omnia altero deinde MAXIMILIANI Diplomate, & iiſdem pænè verbis confirmata ſunt.

DISTI-

DISTICHON II.

Rectores Populi, Patréſque à Principe lecti,
E ter Septenis ordine nominibus.

LVMINA.

RECTORES POPVLI, PATRESQVE.] Vbi Amor, facile, & ſic felix imperium eſt; cùm publica dignitas omnium utilitatem continet: benigna, ut regat populum; ſevera tamen, ut caſtiget. Benignitatis exempla in Vrbe noſtra SEPTENARIA plurima ſemper fuêre: Severitatis, duo eximia, ac notatu digna. Prius in annum incidit ∞. CCC. VI. quo irritati à Plebe Patres, non poterant jam Rectores eſſe, niſi & armis uterentur. Ad bellum controverſia venit; ſed victi prœlio ſeditioſi, quod in agro Vilvordiano commiſſum, Legibus tum novis, à Ioanne II. Duce latis, parêre coacti ſunt. Legibus, Diplomate, quemadmodùm hîc repræſento, comprehenſis: *Ioannes Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgi, * Nos ob graves diſcordias, quæ inter Patricias familias Vrbis noſtræ Bruxellenſis, quarum hæc ſunt nomina: Tſerhuyghs, Sweerts, Sleeuws, Roodenbecks, Tſerroelofs, Steenweeghs, & Coudenberghs; ac Plebejos aliquamdiu fuerunt, quáſque noſtro componendas arbitrio compromiſerunt: Re maturiùs expensâ, ſancimus, Ne Plebs ullo unquàm tempore ad Reipublicæ gubernacula admittatur. Patriciis prædictarum Septem Familiarum Immunitates ac Privilegia, quæ Patris, Avi, & Proavorum noſtrorum temporibus ipſi atque eorum Majores habuêre, reſtituimus. Sancimus prætereà, Vt quotannis, octiduo ante Natalem S. Ioannis Baptiſtæ,*

ex

ex Septem Patriciorum Familiis Septem Scabini deligantur. ✶ Rogamúſque Principes ac Barones noſtros, ut præſenti Diplomati ſigilla appendant. ✶ Datum M. CCC. VI. *Menſe Iunio.* Alterum exemplum in annum cadit ∞. CCC. LX. cùm rebus præeſſet Wenceſlaus Dux. Novis Plebs motibus ferox, auctoritatem ſuam parem Patriciis extulerat:hinc arrogantior,& ſucceſſu audax,Curiam tentavit vi occupare. Bellum rurſus erat,ſed in Vrbe. Furebant tum præcipuè Lanii; qui è macello ſuo erumpentes,rati tam facilè homines quàm pecudes mactari, pugnam capeſſunt. Vincuntur cruenti; ut videas plus haſtas ac gladios, quàm cultros & ſecures valere: puniuntur etiam, ac furorem in exemplum expiant. Quia ſanguis ſupplicio fuſus eſt,putes hîc etiam aliquid macelli fuiſſe.

E TER SEPTENIS.] Septem illæ Patriciorum Familiæ, Eidibus Iuniis, novos quotannis Septemviros deſignaturæ, in Curiam, & ad ſuum unaquæque Conclave(ſingula etiam propriis eo tempore Inſignibus notata ſunt) conveniunt. Suffragiis res agitur, ac Tres è ſingulis eliguntur Familiis Viri Magiſtratui idonei,quorum nomina Septemviri, munere ſuo mox defungendi, ſed in ſuo quiſque Conclavi excipiunt, ac ſimul Albo, ſive Catalogo inſcripta, ad Principem tranſmittunt. Is deinde è ſingulis Ternis unum aliquem olim deſumebat: nunc Septem promiſcuè è ter Septenis; qui cum novo Conſule, cæteróque Magiſtratu Rempublicam adminiſtrent. Ita libertas Patriciis, auctoritas ſervatur Principi: qui etſi fortè à ſuffragiis, ordine ſuo diſtinctis; à Familiis tamen nequaquàm recedit. Has nunc recenſere lubet; ſed præcipuas,& quà Conſules,Septemviros, ſive Scabinos, & Theſaurarios hactenùs habuêre.

DISTI-

FAMILIÆ PATRICIÆ ILLVSTRES,

QVARVM ALIQVÆ PER FEMINAS PROPAGATÆ.

Ecce tibi HVGONES, RODOLPHI, *& nomina ſumpta*
A RIVO, *à* GLADIO, MONTE, LEONE, VIA.

Ordinem ſuo quiſque arbitrio ſtatuet: meus hic à Carmine ſumitur, temporis ſerie per CONSVLES, SCABINOS, THESAVRARIOS, extenſus.

FAMILIÆ HVGONIANÆ

CONSVLES.

PIpenpoy. *De Coutreau.*
Vanden Heetvelde. *De Vrſele.*
Tſerclaes. *Vanden Tymple.*
Van Ophem. *Tſeraerts.*
Vander Noot. *Quarré.*
Taye. *De Marſelaer.*
De Mol. *De Oyenbrugghe.*

SCABINI.

Eggloy. *De Hertoghe.*
De Meerte. *De Huldeberghe.*

De

De Roede.
Plaetman.
Veele, dictus Rongeman.
Vander Spont.
De Mortenbeke.
Pipenpoy.
Vanden Heetvelde.
Timmerman.
Vanden Biſſchopdomme.
Vander Roſen.
Cluetinck.
Taye.
Van Ophem.
Herdinck.
Van Urſſele.
Van Eesbeke.
Vander Kelen.
De Mol.
Vander Noot.
Tſeraerts.
Vilain.
Van Heyembeke.
De Marſelaer.
De Bourgival.
Van Ghindertalen.
Vorſthuys.
De Prouvain.
Van Urſene.
Vande VVerve.
De Stradio.
De Coutreau.
De Oyenbrugghe.
Vanden Tymple.
Quarré.
Vanden Eynde.
Oudaert.
Du May.
Van VVeſenbeke.
Hartius.
De Lalain.
VVellemans.

THESAVRARII.

Pipenpoy.
Vander Noot.
Taye.
Tſerclaes.
De Mol.
Vanden Heetvelde.
Van Ophem.
Van Urſele.
Vande VVerve.
Vanden Tymple.
Tſeraerts.
Du May.
Van VVeſenbeke.
De Marſelaer.

FAMI-

FAMILIÆ RODOLPHIANÆ

CONSVLES.

Magnus.
Tſerclaes.
Van Ophem.
De Baronnaige.
Vander Noot.
Taye.
De Mol.
Van Aſſche.
De Coutreau.
Hinckaert.
De Bregilles.
Van Edinghen.
Vander Eycken.
Vanden Tymple.
Van Oß.
Quarré.
Van Buſleyden.

SCABINI.

Cluetinck, dictus Segheleer.
Mennens.
Vanden Heetvelde.
Vander Logen.
Frayenbaert.
De Coninck.
Metten Schachte.
De Baronnaige.
Taye.
Van Buyſeghem.
Tſerclaes.
Hertewyck.
Thoenys.
De Mons.
Van Ophem.
Magnus.
De Mol.
Vander Noot.
Van Hamme.
Eſtor.
Van Heyembeke.
Hinckaert.
De Grimberghen.
Van Aſſche.
De Donckere.
Vander Vlaeſt.
Cloet.
Van Edinghen.
De Coutreau.
Vander Vorſt.
De Bregilles.
Van Eynatten.
Vander Eycken.
Van Oß.

Vanden Tymple. *Van Buſleyden.* *Quarré.* *Hoſſtadt.* *Van Schore.* *Van Bauſele.* *Steelandt.* *De Dongelberge.*

THESAVRARII.

Hinckaert. *Van Aſſche.* *Thoenys.* *Magnus.* *Vander Noot.* *Taye.* *Van Hamme.* *Tſerclaes.* *De Mol.* *Van Ophem.* *De Bregilles.* *Van Edinghen.* *Van Oß.* *Vanden Tymple.* *Van Eynatten.* *Van Buſleyden.* *Vander Eycken.* *Van Bauſele.*

FAMILIÆ ROODENBECIANÆ

CONSVLES.

Vanden Heetvelde. *Van Ophem.* *De Baronnaige.* *Mennens.* *Van Buyſeghem.* *De Drooghenbroeck.* *De Blitterſwyck.* *Senfft.* *Van Lathem.* *De Marſelaer.*

SCABINI.

VVilshoen. *Pluckmieſe.* *Paeyhuyſen.* *De VViketo.* *De Baronnaige.* *Pipenpoy.* *Vanden Heetvelde.* *Tſerſaes.* *Van Ophem.* *Vanden Hane, dict. Vilain.* *VVtergracht.* *Swaeff.*

Tſer-

Tſerclaes.
Van Pede.
Fraeyenbaert.
De Blitterſwyck.
De Bogaerden.
Hertewyck.
De Meerte.
De Schoers.
Cluetinck.
Van Hamme.
De VVoluwe.
Van Buyſeghem.
Van VVavere.
De Cattenbroeck.
Oudaert.
De Marſelaer.
Van Droogenbroeck.
Steenweghe.
Cloet.
Clockman.
Van Lathem.
Peborch.
Van Houbraken.
Senfft.
Hujoël.
Raveſchot.
Rincvelt.
Baert.
Van Schore.

THESAVRARII.

VVtergracht.
Mennens.
Vanden Heetvelde.
Van Ophem.
De Cattenbroeck.
Clockman.
Van Lathem.
Peborch.
Senfft.
Raveſchot.
De Marſelaer.

FAMILIÆ SVVEERTIANÆ

CONSVLES.

Pipenpoy.
Vanden Heetvelde.
De Keſterbeke.
De Baronnaige.
Vander Noot.
Vanden VVinckele.
De Mol.
VVas.

Van Cotthem.
Houwaert.
De Brecht.
Vander Hert.
De Rodouan.

SCABINI.

De S. Gaugerico.
Portere.
De Baronnaige.
Tſeraerts.
Pipenpoy.
De VVeert, ſive, *Sweerts.*
Van Cotthem.
Vanden Heetvelde.
De Cathem.
Vander Roſen.
Cluetinck.
Van Habbeke.
VVas.
Van Cariloe.
Van Beerthem.
De Keſterbeke.
Zeebroeck.
De Mol.
De Pape.
De Houwert.
Vander Noot.
Vanden Steene.
Vanden VVinckele.
Herteken.
De Pede.
Van Eſſelen.
De Keghel.
Spyskens.
De Brecht.
Halſhuys.
Happaert.
Van Kersbeke.
Labus.
De Yſcha.
Nolten.
De Crane.
De Senna.
De Stalle.
De Vos.
Leonis.
Van Nuwenhuyſen.
Vander Voerde.
Houwaert.
De VVachelgem.
De Hont, dictus van Batenborgh.
Van VVatermale.
Ronge.
Vander Hert.
Vander Hagen.
Schets à Grobbendoncq.
Vander Straten.
Vander Balct.
Vander Brugghen.

Dou-

Douvryn.
Vander Duſſen.
De Rodouan.
Boote.
Hujoël.
Robierts.
Vits.
Vanden Cruyce.
Van Pede.
Van Vffele.
Van Male.

THESAVRARII.

Pipenpoy.
Plaetman.
De Keſterbeke.
Vorſthuys.
Van Cotthem.
De Pape.
De Cathem.
VVas.
Vander Noot.
De Vrſſene.
Vanden VVinckele.
De Mol.
Vanden Heetvelde.
Spyskens.
Halſhuys.
De Hont, dictus van Batenborgh.
De Brecht.
Spyskens.
Vander Hert.
Douvryn.
Vander Duſſen.
Vanden Cruyce.
Robierts.

FAMILIÆ COVDENBERGIANÆ

CONSVLES.

De Frigido Monte.
De Herzele.
Vanden VVinckele.
Schat.
De Limelettes.
De Blitterſwyck.
Vanden Hecke.
Du Queſnoy.

SCABINI.

De S. Gaugerico.
De Frigido Monte.
Rolibuc.
Eſtor.

De Meerte.
Vanden VVinckele.
De Hertoghe.
De Limelettes.
Schat.
De Blitterſwyck.
Spyskens.
Hertewyck.
Swaeff.
De Stalle.
De Hane, dictus Villain.
Collay.
Storm.
Coudenberghs.
Oemen.
Frenier.
Vanden Hecke.
Zouwen.
De Fourneau.
Du Queſnoy.
Abſelons.
Gottignies.
Vanden VVinckele.
Ritwyck.
Spyskens.
Vander Thommen.

THESAVRARII.

De Frigido Monte.
De Herzele.
De Limelettes.
Vanden VVinckele.
Schat.
De Blitterſwyck.
Spyskens.
Vanden Hecke.
De Fourneau.
Abſelons.
Gottignies.
Du Queſnoy.

FAMILIÆ SLEEVVVIANÆ

CONSVLES.

PIpenpoy.
Swaeff.
Vanden Heetvelde.
De Keſterbeke.
De Hertoghe.
Van Ophem.
De Baronnaige.
Vander Noot.
Vanden VVinckele.
Van Nuwenhove.
Thoenys.
Vander Meeren.
Van Cotthem.
Van Aelſt.

De

De Coutreau.
Hinckaert.
De Locquenghien.
De Brecht.
Vanden Tymple.
Tſeraerts, ſive, *Tſeraernts.*
Schets.
De Dongelberge.
Madoets.

SCABINI.

Anſems.
Pylyſer.
Crommerkammen.
Oemen.
Vederman.
De Cockelberghe.
Tſerclaes.
Vanden Heetvelde.
Swaeff.
Schaellie.
Tſerſaes.
De VVoluwe.
De S. Gaugerico.
De Hondelooſe.
De Hertewyck.
Vanden Spieghel.
De Goudtſmidt.
Pipenpoy.
Taye.
De Hertoghe.
De Monte.
De Linckenbeke.
De Redelgem.
Vander Noot.
Van Aelſt.
Van Cotthem.
Van Diedeghem.
Lonchamp.
Van Beerthem.
Van Heemvliet.
De Keſterbeke.
Thoenys.
Van Ophem.
Vander Balct.
Zeebroeck.
De Pape.
Tſeraerts.
Vanden VVinckele.
Van Pede.
Van Eſſelen.
Vander Meeren.
Van Nuwenhoven.
Van Brecht.
Raveſchot.
Campen.
Hinckaert.
Vander Voerde.
Vande VVerwe.
De Stradio.
De Coutreau.

Vander Vorſt, de Vroenhoven.
Vanden Tymple.
De Dongelberghe.
Malhiant.
Schets de Grobbendoncq.
Streignart.
Boote.
Van Laureten.
Hujoël.
De Bourgeois.
Vander Steghen.

THESAVRARII.

Pipenpoy.
Hinckaert.
Van Keſterbeke.
Van Beerthem.
Thoenys.
Van Cotthem.
Taye.
De Pape.
Vander Noot.
Vanden VVinckele.
Vanden Heetvelde.
Van Nuwenhove.
Leeuw de Cantere.
Van Ophem.
Van Aelſt.
Vande VVerve.
De Baronnaige.
Vander Vorſt.
De Brecht.
De Locquengien.
Vanden Tymple.
Tſeraerts.
Hujoël.
De Dongelberghe.
Van Laureten.
De Bruxelles.
Raveſchot.
Vander Steghen.

FAMILIÆ STEENVVEGIANÆ

CONSVLES.

HEnkenshoot.
De Coutreau.
Vanden Hecke.
Vander Hert.
Quarré.
De Oyenbrugghe.
De Fourneau.

SCA-

SCABINI.

Overdyſe.
De Loere.
De Molenbeke.
De S. Gaugerico.
Vanden Stalle.
Henkenshoot.
VVinnepenninck.
Crupelandt.
Craenhals.
Vanden Boſſche.
Coniers.
Van Hamme.
Van Eſſelen.
De Coninck.
Vander Hert.
Tſervrancx.
Vander Haghen.
Tſeraerts.
De Keſterbeke.
Clockman.
De Coutreau.
De Oyenbrugghe.
Vanden Hecke.
Thoenys.
Vander Noot.
De VVatermale.
De Keghele.
Salmſlach.
Zeebroeck.
Steenweghe.
Douvryn.
De Keyſere.
De Fourneau.
Optenbergh.
Quarré.
Abſelons.
Schotte.
Foghelweyder.
Van Cruyninghen.
Verjuys.

THESAVRARII.

Van Hamme.
Clockman.
Vanden Hecke.
Vander Hert.
Douvryn.
De Fourneau.
Quarré.
Schotte.

SCA-

SCABINI ET THESAVRARII
EXTRA ORDINEM POSITI,

Quorum Familiæ rectè ſciri non potuerunt.

SCABINI,

Ab Anno ∞. C. XXXVIII. ad ∞. IↃC. XLVI.

Goſuinus Clibinc.
Franco Connus.
Egericus.
Arnoldus de VVydeſchat.
Goſuinus.
Balduinus.
Meinardus.
De Atrio S. Gaugerici.
Marcilius.
Eſcelinus.
Henneken.
De Hoſſele.
Gerelini.
De Saventhem.
Grene.
Bloemaert.
Campſor.
Gedulphi.
Boyken.
De Loë.
Cole.
Hoſeken.
De Feria.
Burſere.
Nicolai.
VVaſſaert.
Godyn.
De Cloever.
De VVitthe.
De Bigardis.
Vanden Rieuwe.
Moers.
De Cliever.
De Froyere.
De Dalen.
Van Brabant.
De Namen.
Iuetenſoen.
Tſerjacobs, dictus vanden Poele.
Roelants.
De Evergem, dictus de Cockelberghe.
De Rycke, dictus vanden Boſſche.
De Cobbenboſch.

De

Vanden Horicke.
Schadewyck.
De Volcxhem.
De Ranſem.
De Bock.
De Guttichoven, dictus vanden Berghe.
De Stakenborch.
De Staden.
De Rampene.
Schavaert.
Loenys.
Ne VVoelmont.
Brauw.
Daneels, dictus van VVatermale.
De Rodes.
Du Blioul.
Van Berlicon.
De Trello.

THESAVRARII.

Nacke.
Van Brabant.
De Froyere.
Vanden Broecke.
De Evergem.
Coels.
Tſerjacobs, d. vandē Poele.
Crickengys.

DISTICHON III.

Septem Lacenſes veteri ditione Toparchæ,
Et ſerâ titulos poſteritate gerunt.

LVMINA.

VETERI DITIONE TOPARCHÆ.] Septem in territorio Lacenſi, Vrbi ſubjecto, Toparchiæ ſunt, ac videntur ab ipſis Septem Dynaſtis, qui Septem Familias propagârunt, originem ducere. Septem, inquam, Toparchiæ, non Septem ſemper Toparchæ. Vnus enim non unum aliquando locum obtinet, quaſi ſæpiùs Toparcha. Interim ſuo tituli numero conſervantur: loco ſplendidi, quia Lacenſes: quo etiam nomine ſtatua

ſtatua D. Virginis, variis hactenus miraculis clara, piè celebratur.

DISTICHON IV.

Ipſa ſuis plena eſt ter Septem Curia Sellis,
Et triplici regitur PALLADE *jus populi.*

LVMINA.

PLENA EST.] Magiſtratus, in Nobiles, ſive Patricios, & Plebejos diviſus, gemino Curiam ordine implet. Ter Septem Sellæ, ter Septem velut Stellæ ſunt: triplex Pallas, plena Sapientia, quâ Cives reguntur. Duo hîc igitur, ut ſtrictè, & pro jure Populi dicam, Conſules: alter Nobilis, alter Plebejus. Priorem Septem ſequuntur Senatores, ſive *Scabini*, Nobiles: Duo item Theſaurorum Præfecti, Nobiles. Poſteriorem, Quatuor Quæſtores Vrbis, Plebeii: Sex Conſiliarii, Plebeii. Omnes annui, præter Theſaurorum Præfectos, & Quæſtores, qui Biennales. Extra ordinem ſic quidem Prætor, Præfectus Foſſæ, cum duobus Quæſtoribus ſuis, nec non Syndicus, Quæſtores iſtos præcedens. Et Prætor quidem Regius, ſummóque loco, quia Regem, à quo conſtituitur, repræſentat. Iuſtitiæ tutor ac vindex. Perpetuus autem, & è Nobilitate, qui Proprætorem quoque ſuum habet, eúmque perpetuum. Graphiarium inſuper rerum Criminalium, quem *Scribam à Sanguine* vocant, ſimiliter Regium; alióſque Miniſtros. Vetus & venerabilis Prætoria hæc dignitas eſt; ſed honoris & memoriæ cauſsâ, toto numero, & ab ipſa, quantum licet, origine, ad Tabulam referenda.

FASTI

FASTI PRÆTORII
VRBIS BRVXELLÆ,
Ab Anno CHRISTI ∞. C. XXIV. ad Annum ∞. IↃC. XLVI.

∞. C. XXIV.	*GRegorius.*
XXV.	*GAſcelinus.*
XXXIII.	*VValtherus de Anſilier.*
LXXIV.	*VVilhelmus de Bierbeke, Miles.*
∞. CC. I.	*Henricus.*
II.	*VVilhelmus de Craynhem, Miles.*
VII.	*VValtherus de Aa, Miles.*
IX.	*Renerus de Ittre, Miles.*
XII.	*Arnoldus.*
XXIV.	*Gregorius, Miles.*
XXXI.	*Gregorius.*
XXXIV.	*Henricus.*
XL.	*Henricus de Leefdale.*
XLV.	*Henricus Grols.*
XLIX.	*Henricus de Leefdale.*
LVIII.	*Adamus de VVoluwe.*
LXIX.	*Godefridus de Poirtere.*
LXXXII.	*Henricus Lenken.*
LXXXVIII.	*Arnoldus de Yſſcha, Miles.*
LXXXIX.	*VValtherus de Cockelberghe, Miles.*
CXVIII.	*Libertus de Trajecto.*
∞. CCC.	*VVilhelmus Pipenpoy.*
	Ioannes de Quercu.
I.	*VValtherus Pipenpoy, Miles.*
IV.	*Henricus de Huldeberghe.*

F *VValthe-*

VI. *VValtherus de Houten.*
IX. *Iacobus de Yſſchan.*
X. *Ioannes de Aelſt.*
XI. *Ioannes de Liedekercke.*
XIII. *Ioannes de Verteycke.*
XV. *Renerus de Ledeberghe.*
XVI. *Rogerus de Leefdale.*
XVII. *Radulphus Pipenpoy, Dom. de Blaeſvelt.*
XIX. *VVilhelmus Pipenpoy.*
XX. *Radulphus Pipenpoy.*
XXIII. *Oliverius de Binchem.*
XXVI. *Ludovicus de Lyminghen.*
Ioannes de Erpſen.
XXIX. *VValtherus Baſtyn.*
XXXI. *VVilhelmus de Hockenzele.*
XXXII. *Daniel de Peden.*
XXXIII. *Renerus vander Logien.*
XXXIV. *Ioannes vander Heyden, Miles.*
XXXV. *Everardus Nicolai.*
XXXVI. *Ioannes vanden VVikete.*
XXXIX. *Gerardus vander Heyden, Miles.*
XL. *Renerus van Vrſene.*
XLI. *VValtherus Pipenpoy*: ſed in hujus locum à Ioanna Duce ſuffectus
Oſten, Comes Naſſovius, Dominus in Dillenburgh, Ioannæ à Conſiliis: cui munus deſerenti ſucceſſit
Iudocus de Ophem, in cujus locum juſſu Principis reſtituitur
VValtherus Pipenpoy.
XLIV. *Ioannes de VVikete.*
XLIX. *VValtherus Pipenpoy.*

Philip-

L. *Philippus de Tudekem.*
LI. *Everardus VVaſſaert.*
LII. *Ioannes Crupelandt, Miles.*
LIV. *Godefridus VVaſſaert.*
Radulphus de Mol.
LV. *Ioannes Bryn, de Craynhem.*
LVI. *Sigerus vanden Heetvelde.*
Ioannes Crupelandt, Miles.
LVII. *Ioannes Bryn, de Craynhem, Miles.*
Henricus de Stalle, Dom. de Beerſele, Miles.
LIX. *Renerus, F. Ioannis Cluetinck.*
LX. *Philippus de Tudekem.*
LXIII. *Theodoricus vanden Heetvelde.*
LXVI. *Ioannes van Redelghem*, occubuit in prœlio Iuliacenſi, ad Raeſwilram.
LXIX. *VVilhelmus vander Moſt.*
LXXII. *VVilhelmus Swaeff.*
LXXV. *Ioannes F. Reneri Cluetinck.*
Radulphus de Mol.
Renerus Cluetinck, vices *Ioannis Filii ſui*, cum Duce ad bellum profecti, gerens.
LXXIX. *Ioannes van Ophem, Miles.*
Ioannes Taye.
LXXX. *Martinus Taye.*
LXXXII. *Nicolaus de S. Gaugerico, Miles.*
LXXXIV. *Ioannes van Ophem.*
LXXXVI. *Ioannes Cluetinck.*
LXXXVIII. *Nicolaus van Vrſene.*
Ioannes de Ophem, Miles.
Nicolaus de S. Gaugerico.
XCVII. *Libertus.*
XCIX. *Nicolaus de S. Gaugerico.*

∞. CCCC. VI. *Ioannes de Grimberghen, Miles, Dominus de Aſſcha.*
VValtherus vanden Heetvelde.
VII. *VVenceſlaus de Hertoghe.*
XI. *Philippus van Coudenborgh, Miles.*
XII. *Gerardus de Cockelkerghe.*
Andreas Backeniet.
XIII. *Gerardus van Cockelberghe.*
XV. *Ægidius de Monte.*
XVI. *Ioannes Everardi F. Cluetinck.*
Gisbertus Pipenpoy.
XVII. *VVilhelmus van Aſſche.*
XVIII. *Ioannes van Ophem.*
VVenceſlaus de Hertoghe.
Cornelius de Liedekercke, Seneſcalcus.
XIX. *Ioannes Taye, de Eelewyt.*
XX. *Ioannes Everardi F. Cluetinck.*
XXI. *Ioannes de Diedeghem.*
XXIII. *Petrus vander Thommen.*
XXIV. *VValtherus Pipenpoy.*
XXIX. *Henricus Taye.*
Thomas van Mons.
Gerardus Pipenpoy.
XXX. *Ioannes de Edinghen, de Keſtergate.*
LXII. *Henricus de VVitthem, Miles, Dominus de Beerſele, Eques poſtmodum Aurei Velleris.*
LXIV. *Antonius Thoenys.*
LXVII. *Ludovicus de Edinghen, de Keſtergate, Mil.*
LXVIII. *Ioannes de Edinghen, de Keſtergate, Miles.*
Ludovicus de Edingen, de Keſtergate, Mil.
LXXII. *Ioannes de Baronnaige, Miles, Dominus de Moude, Parck, &c.*

Ludo-

LXXV. *Ludovicus de Edinghen, de Keſtergate, Mil.*
LXXVII. *VVilhelmus Eſtor, Miles.*
LXXXIX. *Philippus de VVitthem, Dominus de Beerſe-le, in Braecheneyghene, etc.*
XC. *VVilhelmus Eſtor, Miles.*
∞. IↃ. IV. *Ioannes de Coutreau, Miles, Dominus de Pinſſeux, & in Aſſcha.*
VI. *Rolandus de Mol, Dominus de VVeſpelaer.*
XIII. *Gaſpar de Mol.*
Rolandus de Mol, Dominus de VVeſpelaer.
XVI. *VVilhelmus de Merode, Miles, Dom. de Vuelen, Goidſenhoven, etc.*
XXV. *Henricus de VVitthem, Dom. de Beerſele, etc.*
XXXII. *Henricus de Stradio, Dom. de Maleve.*
XLVI. *VVilhelmus le Tourneur, Miles.*
LIV. *Ioannes de Locquenghien, Eques, Dominus de Cockelberghe, Berchem, etc.*
LXXIV. *Antonius van Oß, Dominus de Heembeke, Ramsbeke, etc.*
LXXVIII. *Ludovicus de Bregilles.*
LXXIX. *Ioannes de Mol.*
LXXXV. *Antonius van Oß, Eques, etc.*
LXXXIX. *Ioannes vander Ee, Eques, Dominus de Herent, Meys, etc.*
∞. IↃC. VII. *Franciſcus vander Ee, Eq. Dom. de Meys, etc.*
XLV. *Georgius de Brimeu, Eq. à Conſiliis Belli, etc.*

DISTICHON V.

Septem Purpurei ſplendent Collegia Conſi:
Curia Septena eſt; attamen una manet.

LVMINA.

COLLEGIA CONSI.] Diſtincta Curiæ loca, ſive Conventus malis appellare. Conſus Romæ olim Conſiliorum Deus. Apud Arnobium, lib. III. Adversùs Gentes: *Salutaria & fida conſilia noſtris ſuggerit cogitationibus Conſus.* Hinc Conſualia Varroni, lib. V. de lingua Latina, *dicta à Conſo, quòd tum feriæ ei Deo.* Ara ſubterranea: quo imprimis myſterio monemur, Conſilia ſive publica, ſive privata, ut Conſilia ſint, arcana eſſe oportere. Silentium autem hîc maximè ſilentium eſſe, & ſacrum, cùm ipſe ſiles, quæ bonâ fide ſileri ab aliis deſideras. Videndus Plutarchus in Vita Romuli, & Dionyſius lib. II. ubi de raptu Sabinarum. Addit hic etiam, *Aram ſubterraneam poſitam Genio, cujus nomen proferri nefas ſit, occultorum nempe Conſiliorum Cuſtodi ac Præſidi.* Collegia verò Conſi, partim hîc δικαςήρια, ſive *Tribunalia* ſunt, partim βουλευτήρια, ſive Conſilia. Súntque Septem, Septemvirale, Ærarii, Tutelare, Eleëmoſynarum, Militare, Textorum, Pacificatorum. Si examinas, Septem in Curia quaſi Curiæ ſunt, Septem Civitatis Conſeſſus, Septem, ut verba mea repetam, *Collegia Conſi.* Nec fruſtra Conſilia, cùm Vernaculo ſermone Curiam *Raedt-huys*, id eſt, Domum Conſilii appellemus.

DISTI-

DISTICHON VI.

Hîc ſunt Civiles, ſunt triſtes Crimine cauſſæ,
Septem queis præſunt munere Patricii.

LVMINA.

HIC SVNT CIVILES.] Inter Septem Collegia, quæ partim δικαςήεια, partim βȣλευτήεια appellavi, Primo loco Septemvirale eſt, déque Cauſſis & Civilibus, & Criminalibus pronunciat. Criminalibus autem intereſſe Conſul non ſolet: Civilibus, ſi occaſio invitet.

MVNERE PATRICII.] Hoc munus in Conſuetudinum Codice deſcriptum habes: ſed ſatis erit, hæc pauca excerpere: *Tribunal Primarium à Septem Scabinis & Scriba* (Graphiarium vocant) *adminiſtratur: qui à Principe electi, certo ſtipendio aßignato, conſtituuntur. In munus ſuum coram Prætore jurant. Hos penes cognitio eſt ac judicatio rerum tum Civilium, tum Criminalium, & in municipia villáſque plus centum circumquaque extenſa eſt.* Putes tantum etiam extra mœnia Vrbis eſſe, & quicquid hîc numeras, Septenario contineri. Triginta omninò dies ad res privatas peragendas, è trecentis ſexaginta quinque,tanquam in ferias Septemviro cuique conceduntur. Vndecim nimirum quotannis occupati menſibus, uno reſpirant. Horæ præterea ſubſicivæ, ita privatim à pleriſque occupantur, ut fructu publicæ fiant. Ita enim domi hi Viri agunt, ut ad Curiam ſe quotidie præparent: ita in Curia, ut curas ſimul domum ferant. Dixerim ſanè, etiam Cauſſis ſtudia Litterarum tanquàm ſubſidia miſceri.

DISTICHON VII.

Sed Conſul Septem dirimens ex tempore lites,
Vnus Septenos exprimit ore Viros.

LVMINA.

SED CONSVL.] Singulare hoc Tribunal eſt, nuper autem magno Reipublicæ bono inſtitutum, quod Conſulare dicitur. Conſul enim, & duo Collegæ è reliquo Curiæ corpore, ſuo etiam ordine adjuncti, Iudices ſunt. Conſul, ſed Primarius: Collegarum alter è Patriciis, adeóque Septemviris; alter è Conſilio Plebejo. Novum eſt, & extra Collegiorum Septenarium: ſed Cauſſarum numero titulum ſibi Septenarii vindicat, dignum profectò, quòd omnibus Septenariis decoretur. Non fruſtra igitur,

SEPTEM DIRIMENS.] Tot omninò hîc Litium genera ſunt, & PALLADIS numero circumſcripta: De locatione & conductione ædium, De mercede, De ſumptibus alimentariis, De obſoniis fide emptis, De diſpunctis rationibus, De debitis Chirographo liquidis, De puris contractibus implendis.

EX TEMPORE.] Nihil ſanè pulchrius, nihil laudabilius. Quorſum ambages, ire ſi compendio licet? amare mare, ſi portus ad evitandum naufragium proximus eſt? Iactantur multi, ut fluctibus, ſic litibus, imò ſorbentur ac pereunt: hîc ſine exitio naviges, ſine periculo evadas, ſine mora & remora ſerveris. Paſſim verò ut vivunt mortales, collidi amant; & quia jure agunt, miſeri ſunt, aut aliis infeſti. Lites ubique lites longæ, lites damnoſæ; è parvis magnæ, quia dum adhuc pullulant,

lant, non extinguuntur; dum creſcunt, & fortunas exhauriunt, & animos utrimque in odia & inimicitias æternas impellunt. Quæ interim artes! quæ tranſennæ! quæ ſtratagemata fori! ut in ipſo plerumque jure artem & rationem juris non invenias; oriantur è controverſiis controverſiæ, ubi ſemina vix ulla erant. Plato in legibus ſuis monuit, lib. v. *Non fore concordes unquam, aut amantes inter ſe cives, ubi mutuæ multæ lites judiciales ſunt: fore, ubi eæ breviſſimæ & pauciſſimæ.* Æſtimavit tam ſalutare monitum SEPTENARIA hæc Vrbs, & novo nuper Tribunali amplexa eſt. Etenim ut paucitatem induceret litium, brevitatem quæſivit, & compendio juris diſpendium Reipublicæ amolita eſt. Hoc illud igitur Tribunal Conſulare, quo paucis quidem horis variæ, & in multos alioquin erupturæ annos rixæ, quaſi ex tempore ſopiuntur. In Turcarum Inſtitutis hoc unum hodie eſt, quod maximè laudes. Iudices publici ſunt, & pro foribus quiſque ſuis ſub tecto aliquo ſedet, litigantes admittens. Hi ſine Advocato, aut Cauſſidico ullo veniunt, controverſiam utrique exponunt, teſtes etiam, ſi eorum copia, adhibent. Cadius igitur (hoc nomine Iudex eſt) hinc inde rationes audiens, & expendens, adhibitis Arbitris, ſententiam fert; cui non acquieſcere nefas ſit. Abeunt iſti, ac lite defuncti, domum, & ad concordiam velint nolint revertuntur. O pulchrum, quamvis apud Barbaros! ô pacificum, quamvis apud Bellatores Tribunal! Sanctius tamen illud ſecuriúſque Curiæ Bruxellenſis; quia plures ſimul Iudices ſunt; quia è toto integerrimæ famæ Senatu; denique, quia variari ſolent. Sed formam ipſam, ſicuti anno ∞. IↃ. LXXXV. à toto Magiſtratu conſtituta eſt, ex Archivis depromo.

CON-

CONSVL & Collegæ duo, alter è Septemviris, alter è Senatu Plebejo, Ter in hebdomade, & ad ſtatum Tribunal conveniunto; diebus Lunæ, Mercurii, Veneris: ab hora decima ad meridiem ſedento.

Cauſſæ decidendæ, Privilegiariæ, liquidæ, ac manifeſtæ ſunto: de mercede locatarum ædium, agrorum, paſcuorum, latifundiorum, & quæ huc faciunt: de ſumptibus alimentariis, de vino, cerevisiâ, pane, carne, piſce fide emptis: de diſpunctarum rationum reliquiis: de debitis certo chirographo conſignatis: de implendis contractibus, & tranſactionibus, quæ nullis conditionibus onerantur. Siquis aliàs in hoc Iudicium cauſſas attulerit, viginti ſolidis mulctator: Lis inſuper irrita eſto. Eadem Apparitoris, in vetitis his cauſsis diem dicentis, pœna eſto.

Actiones, quæ primo litis gradu & ordine ad Tribunal, vel Tutelare, vel Textorum, vel Pacificatorum pertinent, etſi liquidæ ac manifeſtæ, à Conſulari non recipiuntor. Integra ac illibata inferioribus hiſce Dicaſteriis poteſtas eſto.

Apparitores ſiquem in jus vocaverint, cujus nomine, & quam ob cauſſam vocaverint, ſcripto eidem indicanto.

Inter citationem, & diem judicio præfixum, viginti quatuor horarum ſpatium eſto: intereà qui citatus eſt, an lite agendum ſibi ſit, expendito; acturus verò, quæ ad defenſionem neceſſaria ſunt, parato.

Ipſemet tam Actor, quàm Reus, omni excluſâ Cauſſidici ope, ſe judicio ſiſtito: documentis, probationibus, aliiſve ſubſidiis, quibus cauſſam quiſque ſuam exiſtimabit fulciendam eſſe, inſtructus eſto. Has ipſas in primo ſtatim acceſſu Conſuli, Collegíſque ejus exhibeto.

Actor ſeorſim relationem Apparitoris ſecum ferto.

Idem petitionis ſuæ, Reus defenſionis rationes ſtato die ore proferto. Vterque ad ea, quæ viciſsim veritatis eruen-

eruendæ cauſsâ proponentur, aptè reſpondeto. Scitis, juſsiſque à Conſule Collegiſque datis, pareto.

Actor etiam, ſi vel vadimonium deſeret, vel à præſcripto ordine recedet, in mulctam decem ſolidorum: ſi Reus, in quinque incurrito. Morbo tamen, abſentiâ, vel alio legitimo ac manifeſto impedimento detenti, litigandi vices in alium transferunto: ſed is Cauſsidicus ne eſto.

Si quis ſecundò, vel citatus, vel alium citans, judicio ſe ſtiterit, ſed inſtructus non ſit, duplo mulctator. Solus verò Actor, ſi ſe ſtiterit, intentionémque ſuam Conſuli Collegiſque probârit, quod petit obtineto.

Si ulteriorem cauſſa requirat indaginem, nec ſecundo quidem poſsit congreſſu, vel ſine probationibus expediri, ad ordinarium Tribunal remittitor.

Qui Iudici ab Actis ſunt, ſolito Salario contenti, ad formam hactenus uſitatam ſe componunto.

A Sententia Conſulari ſiquis ad novi Iudicii examen provocare voluerit, id intra viginti quatuor horarum ſpatium declarato, & referri in Acta curato. Interpoſitam quoque provocationem depoſitâ mulctâ, huic temeritati conſtitutâ, intra idem tempus proſequitor: ſin minùs, ſententiâ latâ effectum ſuum ſortitor.

Hoc igitur Iudicium Conſulare, & novum, peculiari etiam ratione Septenarium eſt; quia Septem perſonis, ad Sententiam neceſſariis, conſtat: Conſule, Scabino, Conſiliario, Scribâ, Apparitore, Actore, & Reo.

HEP-

HEPTAS III.

AD TERTIVM SEPTEMVIRVM.

DISTICHON I.

Martius hîc etiam Conſeſſus Centurionum,
Iurgia Textorum, Pacis & Arbitrium.

LVMINA.

CONSESSVS CENTVRIONVM.] Conſilium Bellicum: in quo Decem Præfecti Cohortium Vrbanarum, vulgò *Capitanei*, è Patriciis; item Quinque Decuriones, ſive *Decani Guldarum*, id eſt, Collegiorum Militarium, è Plebe. An & nominum non Latinarum reddenda ratio? *Capitanei*, tanquàm Capita, quia eminent; vel quia *in capite agminis*, ut Iſidorus explicat, & principiis locum obtinent. Sic & *Decani* Decuriones erant, Martis genus, eodem Interprete: DECANI, *quòd militibus Decem præficiuntur.* Poſteà etiam ad alia, tam Sacra, quàm Civilia tranſlatum munia vocabulum, uberioris numeri ſignificationem accepit. Iam verò *Gulda*, ſive *Gilda*, priùs *Gildonia*, & *Geldonia*, pro Collegio, Corpore, Sodalitate. Gloſſæ Veteres: *Gildonia, conſpiratio, adunatio.* Nimirum à pecunia, quæ in commune ad conſtituendum cœtum, atque conſervandum confertur. In Tabulis Longobardorum hujus quoque vocis mentio, lib. I. tit. XVII. leg. VII. *Sacramentis per Gildoniam adinvicem conjurandis, ut nemo facere præſumat.* Sic igitur & Convivia dicta,

quæ

quæ in ejuſmodi Collegiis ſtipe collatitiâ, & ſolenni ritu celebrantur: quemadmodùm συσσίτια olim apud Spartanos.

Vt ad rem veniam. Cohortes illæ Vrbanæ hîc quidem Decem ſunt; ſed Centuriæ quadraginta, è totidem Vicis collectæ, Civium robur. Sic & Decem Præfecti, ſive *Capitanei*, quorum ſinguli Quatuor Centuriis præſunt. Centuriones, qui à Præfectis conſtituuntur, Quadraginta, quot Vici ſunt. Horum munus, in Album eorum omnium recipere nomina, qui è quóque Vico excubiis obnoxii: item recipere mulctas, erogare pecunias, Quæſtores Cohortium, & Cenſores eſſe.

Collegia verò Militaria, ſive *Guldæ*, Quinque ſunt, ſelectorum & conſcriptorum Civium; qui ſoliti olim Principes ad bellum proficiſcentes ſequi, eorum latus ſtipare, Triariorum loco eſſe, molem pugnæ ſuſtinere. Quinque, ut dixi, ſunt: Sacris tamen ſuis SEPTENARIVM faciunt, Septem Divis dedicata: D. Virgini, D. Georgio, D. Sebaſtiano, D. Antonio, D. Chriſtophoro, D. Barbaræ, D. Michaëli.

Primum MAGNI appellatione, ſive Baliſtæ Vetuſtioris, anno inſtitutum ∞. CC. XIII. D. Virgini, & D. Georgio lanceam vibranti. Arma, Baliſta Chalybea, & Lamina è balenis & nervis: qui mos antiquus eſt.

Secundum, GEORGIANVM, ſive Baliſtæ Recentioris, è Magno natum, cùm id nimiùm excreſceret, Anno ∞. CCCC. XXII. D. Georgio, ut nomen indicat; cui Lanceæ loco Gladius. Baliſta hîc quoque, & Chalybea, ſed ſola.

Tertium, SAGITTARIORVM, qui ſimplici Arcu inſtructi, Manu nervum torquent, & à Manu dicuntur.

cuntur. Anno erectum ∞. CCCC. XXVIII. DD. Sebaſtiano, & Antonio. Et hîc Sagitta eſt, facilis,& quaſi ad manum.

Quartum, BOMBARDARIORVM, vulgò *Coluvriers*, à Colubrina, machinæ genere, quia Colubri, ſive Colubræ imaginem gerit, quæ rejectis Baliſtis Arcubúſque, omnem hodie fulmine ſuo Militiam facit. Anno inſtitutum ∞. CCCC. LXXVII. DD. Chriſtophoro, & Barbaræ. Glandes hîc plumbeæ tela ſunt.

Quinctum, GLADIATORVM; D. Michaëli; quod armorum ritè ac peritè tractandorum velut Gymnaſium eſt; ultimum quidem, & ab Anno ∞. CCCC. LXXX. Sed vix ulli priorum cedens. Et quænam igitur hæc arma? Omnia, quæ manu verſari ſolent, & amari à Nobilitate.

Aræ omnibus, & Sacra in Æde Sabulonis: Locus hic verò (Cœmiterium antiquitùs erat) à Matre Xenodochii D. Ioannis Collegio Magno datus, Anno ∞. CCC. IV. ut in eo Sacellum D. Virgini exſtrueretur, annuente Cœnobiarchâ Dilegemenſi, dicti Xenodochii Proviſore, juſſu quoque Ioannis Brabantiæ Ducis. Prætereà Primani & Secundani Pſittacum (hæc enim avis formâ, & magnitudine placuit) ſcorteum, è turricula Sabulonis perticâ elatum, petere Baliſtis ſuis quotannis, & ſtatis Veris temporibus ſolent. Tertiani & Quartani è turri Lanaria: illi Sagittis ſuis, Scorteum; hi Glandibus, ſive globis (ut Militiæ noſtræ uſus eſt) Ferreum. Quinctanis, Gladios, Romphæas, Haſtáſque, verſantibus, Forum aſſignatum.

Ludicra hæc quidem certamina ſunt; ſed præmia ſeria, quia immunitatum prærogativæ. Ne & honores deſideres, Regio quoque nomine, nec non Cæſareo æſtiman-

mantur. Ipſi huc etiam invitari Principes, aliíque è Nobilitate Primi, ac Patricii ſolent, & ut Populo placeant, libentes venire: verè Principes, Primi, Patriciíque; quia ad humanitatem ſe demittunt, quia ludos Plebejos, & Regis nomen in Plebe amant. Exempla plura, ſed & prompta ſunt, quæ ſi prætercam, magna argumenti hujus lumina neglexiſſe videar. Bonum factum: quemadmodum Memoriæ tabulis conſervantur, hîc ea recenſeo.

REGES MAIORIS COLLEGII,

E PRINCIPVM ORDINE.

Anno ∞. IↃ. IX. *Robertus Croyacus, Epiſcopus Cameracenſis.*

∞. IↃ. X. *Philippus Nothus Brabantiæ, Dynaſta Cruybecanus.*

∞. IↃ. XII. *Carolus Princeps, annos natus* XII. *poſteà Imperator,* QVINCTVS *nomine, Virtute ac potentiâ Maximus.*

∞. IↃ. XV. *Philippus Clivius, Ravenſtenii Dynaſta.*

∞. IↃ. XVI. *Henricus Comes Naſſovius.*

∞. IↃ. XVIII. *Margareta Auſtriaca, Philiberti Sabaudiæ Ducis vidua, Belgii Gubernatrix*; ſed per Delegatum ſuum Queſnoyum.

∞. IↃ. XXV. *Philippus Lalainius, Dynaſta Hooghſtratanus.*

∞. IↃ. XXVII. *Erardus Cardinalis Marcanus, Epiſcopus Leodienſis,* per Delegatum Cretíum.

∞. IↃ. LI. *Lamoraldus Comes Egmondanus, Princeps Gavrius, Eques Ordinis Aurei Velleris.*

∞. IↃ. LVII. *Philippus Auſtriacus Rex Angliæ,* per Delegatũ Philippum Croyacum, Ducem Arſchotanum.

∞. IↃ. LVIII. *Philippus Croyacus, Dux Arſchotanus, Princeps Chimacenſis, Equès Ordinis Aurei Velleris.*

∞. IↃ. LIX. *Lamoraldus Comes Egmondanus*, II.

∞. IↃ. LXVIII. *Ferdinandus Alvareſius Toletanus, Dux Albæ, Belgii Gubernator*, per Delegatum Gabriëlem Manriquezium.

∞. IↃC. XV. *Optima Princeps noſtra* ISABELLA CLARA EVGENIA, *pietatis, omniúmque Virtutum memoriâ ſemper victura*, non vicariâ, ſed ſuâ manu, inter tot Reges verè hîc Regina. Cui in hanc quoque arenam deſcendenti, ſive peritia (quid enim illa non dexterè?) ſive fortuna (quid enim illa non feliciter?) favit: Mulieri, ſed ad virilem gloriam natæ. O pulchrum & memorandum ſpectaculum! Stetit cum marito Principe ALBERTO inter Majoris Baliſtæ Sagittarios, poſitâ quaſi Majeſtate: jaculatura, ſuſtulit machinam, collimavit oculum, emiſit telum, & dirigente quodammodò ictum Numine,

——————— *non irrita miſſa ſagitta eſt:*

Avem dejecit. Bone Deus, quanto favore populi! quanto applauſu! Omnes viciſſe diceres. Illa verò, ut magnanima, ita modeſtiſſima, Plebejum admiſit Reginæ nomen, heroïcâ ſimul teſtata munificentiâ, ſe jam velut Civem inter Cives eſſe. Totum illud agmen eſſe ſuum ut oſtenderet, veſtes aſſumere ſericas, auro ornatas, voluit; ſuo ſumptu, & colore eminere. Cùm ex Ærario Vrbis Donum honoris cauſſâ oblatum eſſet, in dotem convertit; quâ ſenæ quotannis Virgines, vinculo ſive Conjugali, ſive Monaſtico ſeſe obſtringerent; non jam pauperculæ, quia felicem in paupertate conditionem inveniebant. Gemino res tota Epigrammate expreſſa eſt, quod in Æde Sabulonis legitur, ingenium ſimul

ſimul HERMANNI HVGONIS, Viri in Societate IESV nuper eminentis, repræſentans.

DEXTERA PARTE VESTIBVLI.

Annuus hoc Templi celebratur culmine ludus,
Lignee, cùm celsâ, Pſittace, turre ſedes.
Tum fremit infeſtis circum plebs feſta Baliſtis,
REXQVE *ſalutatur, qui jaculatur Avem.*
Ecce ISABELLA *aderat, vix teláque torſerat Arcu,*
REGINAM *agnovit Pſittacus, & cecidit.*

SINISTRA.

Obtulit è cenſu ſua dona Senatus ELISÆ,
De templi poſtquàm cuſpide jecit Avem.
Rurſus at in cenſum cenſum jubet illa referri,
Dos foret ut ſenis annua Virginibus.
Hinc ſenæ incedunt diſcincto crine Puellæ,
Feſto, quo colimus Pneuma, ſequente diem.

Novam inſuper generoſiſſima Heroïna Baliſtariis ſuis juxta Palatium domum ſtruxit; ut publicas ſolennéſque inſpectura epulas, ipſam regere & complecti hilaritatem videretur. Hi contrà quid referrent? Matrem rati, quam Reginam acceperant, amore & obſequio complexi ſunt; & ne mutare felicitatem cogerentur, ab omni deinceps certamine, eâ vivente abſtinuerunt. Poſt mortem igitur Optimæ Principis, quæ triſtiſſima omnibus fuit,

Anno cIↃ. IↃC. XLIII. Pſittacum dejecit *Albertus Croyacus & Arenbergius, Princeps Chimacenſis.*

REGES COLLEGII GEORGIANI.

Anno ∞. IↃ. LXXXVII. *Alexander Farneſius, Dux Parmenſis, Belgii Gubernator.*

∞. IↃ. XCII. *Carolus, Comes Mansfeldius.*

∞. IↃ. XCV. *Petrus Enriqueſius Guſmannus, Comes Fontanus, Belgii Gubernator.*

∞. IↃ. XCVIII. *Petrus Erneſtus, Comes Mansfeldius.*

REGES SAGITTARIORVM.

Anno ∞. CCCC. LXVI. ad LXXI. *Carolus Bellicoſus, Burgundiæ & Brabantiæ Dux.*

∞. CCCC. LXXVI. ad LXXX. *Ioannes Burgundus, Epiſcopus Cameracenſis.*

∞. IↃ. X. *Maximilianus Romanorum Imperator.*

∞. IↃ. XII. *Margareta Auſtriaca, Philiberti Sabaudiæ Ducis vidua, Belgii Gubernatrix,* per Delegatum Alardum Bentingium.

∞. IↃ. LXIV. *Guilielmus Naſſovius, Princeps Auriacus.*

∞. IↃ. LXVIII. *Philippus Comes Egmondanus, Princeps Gavrius.*

∞. IↃ. XCII. *Petrus Erneſtus, Comes Mansfeldius.*

REGES BOMBARDARIORVM.

Anno ∞. IↃ. XIV. *Ludovicus Lucemburgicus, Comes Lignyacus.*

∞. IↃ. XXVIII. *Dynaſta Montfortius.*

∞. IↃ. XXXIII. *Robertus Croyacus, Epiſcopus Cameracenſis.*

∞. IↃ. XXXVIII. & XXXIX. *Carolus Hannart, Eques, Burgravius Bruxellenſis, Baro Liedekerckanus.*

∞. IↃ. XL. *Maximilianus Egmondanus, Comes Buranus, Gubernator Friſiæ, Eques Ordinis Aurei Velleris.*

∞. IↃ. LXIX. *Guilielmus Naſſovius, Princeps Auriacus.*

∞. IↃ. LXXVI. & LXXXIII. *Carolus Lignyacus, Comes Arenbergius, Baro Zevenbergius.*

∞. IↃ. XC. *Antonius Rubempræus, Toparcha Vertainius.*

∞. IↃ. XCII. *Petrus Erneſtus, Comes Mansfeldius.*

∞. IↃ. XCIII. & XCIX. *Franciſcus Lotharingus, Dux Aumalius,*

∞. IↃC. VI. *Ludovicus Velaſcius, Comes Salazarius.*

∞. IↃC. XXVII. *Nicolaus Montmorencius, Vicecomes Arienſis.*

Reliquam ſiquis Nobilitatem luſtret, ex ipſis etiam Patriciis plures Regio hîc Nomine inſignes inveniet, & inter Principes Viros, dejecto Pſittaco, reluxiſſe: *Eſtorios, Vranxios, Swaeffios, Herlarios, Heetveldios, Tayos, Houtemios, Aſſonvillios, Eeos, Locquengienios, Steenwegios,* ne ad plures ſeriem extendam. Sed Plebejos omnes quis recenſeat? Tot profectò ſunt, quot reliqui ab origine anni, & volumen excedant. Ad ſplendorem verò argumenti facit, Collegia tria prima à Gotefrido Bullonio, Lotharingiæ Duce, tres unâ ſagittâ Alites, in obſidione Ieroſolymitana transfigente, deducta videri. Hæc conſtans hactenus ſæculorum opinio eſt, & Inſignibus Collegiorum confirmatur: Eadem enim Vrbis Ieroſolymitanæ, Ducíſque Bullonii ſunt; Crux recta & decuſſata, quatuor minoribus, quæ latera occupant, cincta. Baliſtarii utrique ſolam mediam, ſive majorem uſurpant, ſimpliciori imagine, cùm ſatis eſſet originem exprimere: niſi conjecturam hinc ſumere placeat, Arcu, non Baliſtâ in transfigendis Avibus uſum Bullo-

nium fuiſſe. Sed ſive Arcu, ſive Baliſtâ, pulcherrimum hoc portentum eſt, conſenſu præſtantium Scriptorum celebratum, & ab ipſa adeò Lotharingica Familia in Symbolum originis receptum. In Symbolum, ſed verè Heroïcum, nunc etiam Sereniſſimo CAROLO Duce, animi corporíſque dotibus inter Principes eminente, dignum: de quo publicum votum eſt, ut Magnum illum Gotefridum Bullonium belli felicitate & famâ referat; arma verò Chriſtiana ad priſtinam gloriam attollat. Supereſt denique

COLLEGIVM GLADIATORVM,

Minùs aliunde quidem illuſtre, quia Reges è ſola Plebe habet; à ſe ſatis, quia D. Tutelarem ſuum, illum Vrbis, ceu Regem perpetuum, Cæſarémque, Digladiantis imagine veneratur. Cæſares autem è ſola quoque Plebe, in omni fieri Collegio ſolent; qui tribus nimirum continuis Annis Victores ſunt, tertiùm, ut ſic dicam, Reges, & ſic Perpetui, nec tantùm nomine, ſed honore, & prærogativâ. Torquem Regium, & auro ſplendentem, cùm Victoriæ jure vindicare ſibi poſſint, renuunt, & accepto munere, Collegio reddunt. Ad Convivia publica Aſymboli veniunt, Regibus præcedunt, ubique Primi; ſed hucuſque Plebeii. In arenam verò Gladiatoriam neque Principes, neque Magnates deſcendunt: generoſius rati in Avem, quàm in Hominem pugnare; Iaculatorem eſſe, quàm Laniſtam. Manu fortunam ſubeunt, ubi ſine periculo certamen eſt, ſine ira victoria, ſine vulnere præmium. Inter ſe igitur ſoli Cives dimicant; modeſtè tamen, & totum ludo duellum abſolvunt. Quid reprehendas? Tractant magis arma, quàm gerunt, quippe Cives: nôrunt, nec uſurpant; quia ſiquæ fortè contentio

ſub-

ſuboritur, jure agunt, artémque bellicam, imò duellicam, Tribunalibus ſubmittunt, cauſſam rationi. Civiliter hi quidem, & ut ampliùs dicam, ſapienter. Nonnulli tamen, & quaſi meliori genere ac germine procreati, generoſum, ſi Dîs placet, arbitrantur, à levi quacumque rixâ aut jurgio in duellum, ac vetitum nefas ruere, honorem, quem læſum queruntur, turpiori infamiâ vindicare. Statuitur locus, tempus, modus pugnandi, & cùm omnia quaſi ex lege fiunt, leges divinæ & humanæ violantur. Ius ſibi gladio dicere, & Principis, aut Reipublicæ poteſtatem uſurpare, Majeſtatis crimen eſt. Vetita igitur, damnata, proſcripta ubique Duella ſunt; quia in Deum, & Naturam ipſam peccant: nefaria, barbara, bruta; quæ non poſſum niſi damna & dedecora Nobilitatis appellare. Sed ut revocem calamum, & ad ſummam argumenti redeam, In Tribunali Bellico Decem Præfecti Cohortium Vrbanarum ſedent, Quinque ſimul Decuriones Collegiorum Militarium, & Cauſſas Litéſque Bellicas, ſive in Vrbe, ſive in Excubiis natas, dijudicant. Quod ad reliquas Collegiorum quidem Controverſias attinet; eas in Dicaſteriis ſuis Coriphæi, vernàculo nomine *Hooſtmanni*, dirimunt, loco & auctoritate Decurionibus potiores. Cedunt tamen Regibus: qui, in omni pompâ & ſolennitate, medii inter Coryphæos & Decuriones incedunt.

IVRGIA TEXTORVM.] Tribunal rei Lanificæ, quæ præcipuam aliquando plebis partem occupavit. Duo hîc Magiſtri, ſive Decuriones, quos etiam *Decanos* dicunt: unus Patricius, & Superior; alter Plebejus, & Inferior. Octo prætereà Iudices, & à numero dicti: quatuor Patricii, quatuor Plebeji. Ab anno ∞. ccc. xxv. ad cccc. xxv. hi Magiſtri & Iudices è ſolis Patriciis;

triciis; deinceps diviſa dignitas, & cum Plebe communicata.

PACIS ET ARBITRIVM.] Tribunal hîc quoque, ſed Pacificatorum. Et hi Octo quidem numero, ſed à munere nomen ſumunt. Finis iſte: ut ſi è contentione, aut rixâ cruentâ inter Cives injuriarum nata ſit actio, arma & iræ judicio deponantur. Hoc *Pacis Arbitrium* eſt: utile Reipublicæ, cujus maximum in pace & concordia bonum Sapientes collocârunt. Violentiæ æquitas oppoſita eſt; ut quos vel caſus, vel impetus, vel ebrietas colliſit, publica conciliet auctoritas; injuria autem nummis expietur. Ad ſummam, Pacificatores velut Arbitri ſunt: componunt publicè, quod privatim turbatum eſt.

DISTICHON II.

Hîc ſunt Ærarî Quæſtores, Scriba, Tribuni:
PALLADIS *eſt numerus,* PALLAS *&* *Æra regit.*

LVMINA.

ÆRARI QVÆSTORES.] Suum ſibi decus Ærarium vindicat, anima Civitatis ac robur. Ampliſſimum eſſe, publici continuíque ſumptus indicant; ſanctiſſimum eſſe, integerrimi ejus Quæſtores ac Tribuni. Tribuni quidem, ſive *Theſaurarii*, Duo ſunt, & è Nobilitate: Quæſtores Quatuor, & è Plebe. Scriba accedit, & Septenarium implet; ut miniſter Ærarii, ſic pars myſterii: quod cùm ad PALLADEM referatur, divitias cum Sapientia conjungi poſſe dixerim; in Saturni Æde Minervam coli, Saturnum in Minervæ.

DISTI-

DISTICHON III.

Hîc Pietatis Opes, Tutorum ſancta poteſtas:
Curia ſubſidio eſt, Vrbis ab Vrbe ſalus.

LVMINA.

PIETATIS OPES.] Curatores hi Pauperum, publicè conſtituti: partim Patricii, partim Plebeji. Munus non minùs pium, quàm politicum: quemadmodùm qui id gerunt, inter pios politici ſunt, inter politicos pii; non Cives tantùm, ſed Civium velut Patres, ubi vel miſeria, vel egeſtas ſubſidium flagitat. Publicam, ſed piam pecuniam, vel quam Privati pietatis cauſsâ publicam eſſe voluerunt, diſpenſant: quæ ad Xenodochia Vrbis, Noſocomia, Ptochotrophia ſe auctoritas extendit.

TVTORVM SANCTA POTESTAS.] Septimo tandem loco Tribunal Tutelare, quo in tuto ætas Pupillaris collocatur: ut habeant Patres, qui Tutores jam nacti; publicos, & in Curia, quos domi & privatim amiſére. Præfecti verò Pupillaribus negotiis dignitatis titulo *Supremi Tutores* nuncupantur. E quatuor primis Septemviris (inter quos & Conſul) duobúſque Senatoribus Plebejis, Magiſtratu ſuo proximè defunctis, conſtitui ſolent. Scriba hîc etiam, quia Septimus, Publicam hanc Tutelam acceſſu ſuo Septenariam facit. Ab horum autem Sententiis, quod & in reliquis Tribunalibus obtinet, ad Septemviros provocatio eſt. Videmus igitur, cujuſmodi *Curiæ ſubſidium* ſit, & quæ *Vrbis ab Vrbe ſalus*.

DISTI-

DISTICHON IV.

Nuperus, hos præter, Ductarum Præſes Aquarum,
Ius dicit Nautis, hîc ſua Roſtra tenet.

LVMINA.

DVCTARVM PRÆSES AQVARVM.] Præter Septem illa *Conſi Sacraria*, Novum, ſive Conſilium, ſive Tribunal, Nauticum eſt: quod & Præfectum unum habet è Patriciis, & Quæſtores duos è Plebe, & Scribas. Hoc quemadmodùm *nuperum*: ita Senatui obnoxium, quaſi minor Magiſtratus. Huc negotia, cauſſæ, & controverſiæ referuntur, quæ Foſſam (de qua poſteà) & Navigationem Foſſæ ſpectant.

ROSTRA TENET.] De Roſtris Romanis (ærea erant) Plinius lib. XVI. cap. IV. *Roſtra navium* (ſuperatis Antiatibus) *Tribunali præfixa, fori decus erat, veluti Populo Romano ipſi corona impoſita.* Hiſtoriam Livius tradit, lib. VIII. & *ſuggeſtum*, imò *templum* nominat, ut & alibi Cicero. Videbantur ſic quidem Romani velut è navibus concionari; & noſter nunc Præfectus, Quæſtoréſque ejus, jus dicere.

DISTICHON V.

Eſt etiam Vccléum pagano jure Tribunal,
Septeníſque ſuis Nobile Iudicibus.

LVMINA.

VCCLEVM.] Vccla pagus, Vrbi à meridie proximus, & quaſi Vrbs, ſi murorum loco Iuriſdictio cenſeatur. Pagus Regius, in centum & ampliùs pagos exten-

extenſus. Ius igitur paganum eſt, Tribunal Nobile; quia tales Viri, qui judicant, *Scabini* quoque dicti. Hodie in Vrbe, aliquando ruri, & in ipſo pago: Soccis nunc quoque ſoliti laneis, atque chirothecis ab Antiſtite Foreſtenſi quotannis donari; haud aliter, quàm ſi foris Tribunal haberent. Quid verò? ſive belli, ſive aliâ cauſsâ, in Vrbem, & ipſam adeò Curiam Vrbis introducti ſunt. An alieni quoque? Patricii erant: an alieno numero? Septem veniebant.

DISTICHON VI.

Hoc unum è Septem, MAGNI *quæ nomine Regis*
Publica diſpenſant munia Iuſtitiæ.

LVMINA.

QVÆ NOMINE REGIS.] Regia Tribunalia in VRBE SEPTENARIA Septem ſunt: *Sanctius*, *Brabantiæ*, *Feudale*, *Uccléum*, *Venatorium*, *Nemorum*, *Vectigalium*. Sejungo autem Conſilium Status, & Ærarium utrumque Principis; Sanctius, & Brabantiæ; quia Collegia potiùs, quàm Tribunalia ſunt, βȣλευτήρια mera. Quid etiam? Iudices Conſilii Sanctioris, & Brabantiæ, quotidie conventus ſuos habent: reliqui Septimo quoque die, & diſtinctis locis. Primi illi, in Palatio Principis: Secundi, in Vrbe & loco, quem à Cancellis *Cancellariam* dicunt: Vccleani, in Curia Civitatis: reliqui in Prætorio Regio, quod à *Pane* dicunt, è regione Curiæ. Panarium enim initio fuit; in quod Panes, foris advehi ſoliti, reponebantur. Præterea, in Venatorio Tribunali Septem perſonæ: Supremus Venator, Ferarum Præfectus, tres Iudices, Scriba, & Apparitor.

DISTICHON VII.

Ipſe Brabantinus, Trabeatâ veſte Senatus
Septeno quondam lumine Clarus erat.

LVMINA.

TRABEATA VESTE.] Trabeata veſtis, toga Senatoria. Trabea autem, ut Servius notat, veſtis *diſcolores pannorum quaſi trabes referens*. Ad alia & majora referri munia ſolet. Ad Conſulare à Poeta:

Ipſe Quirinali Trabeâ, cinctúque Gabino
Inſignis, reſerat ſtridentia limina Conſul.

Alibi ad Regium. Sed ſi Regum eſt, trabeâ uti; aliquid ſanè Regium in munere Regio Senatus Brabantiæ habet, Trabeatâ veſte, quaſi Regiâ, reſplendens.

SEPTENO QVONDAM LVMINE.] Septem principio in Curiam Brabantiæ Senatores legi, mos erat: duos è Sacro ordine, duos è Nobilitate, tres Iuris ſcientiâ ac titulo donatos. Poſtmodùm, ſurgente cum fortuna negotiorum mole, ad bis Septem, & ultrà numerus adauctus. Quid miramur? Res omnes humanæ, inſtituta, opera, incrementis, ac decrementis ſuis variantur, & quaſi ludunt. Nihil, quemadmodùm cœpit, deſinit; imò quia cœpit, deſinere non poteſt, niſi mutetur. Siquis ſtatus, exiguus eſt, & quamdiu iidem homines, eadémque tempora. Ne Septenarius quidem hîc noſter numero ſuo in omnibus conſervatus. Alibi crevit, ut ſæpiùs Septenarius fieret: alibi decrevit, ut ſaltem origine placeret. Sed hîc pulchrum, initia ſpectare; quæ poſt numerum, etiam myſterium retinent: & quamvis aucta, mutata tamen non videntur; quamvis imminuta, eadem, & eodem etiam nomine remanent.

HEP-

HEPTAS IV.

AD QVARTVM SEPTEMVIRVM.

DISTICHON I.

A Cælo placuit numerus , placuítque referre
Septem , quos celebrat Græcia priſca Sophos.

LVMINA.

A Cælo placvit nvmervs.] Septenarius, & à Septem,ut hactenus numerati ſunt, Errantium ſine errore ſiderum choro. Nuper enim Clariſſimus, & Cælo dignus Vir, Galilævs, tubo novo Optico divina perluſtrans templa, quatuor circa Iovis aſtrum Planetas, anteà non viſos, deprehendit: quos cùm Medicæos appellavit,inclytum in terra nomen etjam inter Sidera poſuit, ſuúmque ſimul evexit. His quatuor alios quinque, admirabili, quâ præditus eſt ingenii ſolertiâ, adjungere conatus eſt Reverendus Vir Antonivs Rheita, è ſanctiſſimo Capucinorum, humana omnia ſpernentium, Ordine; prorsùs ut Muſarum numerum novis Luminibus illis daret, vel lumina Muſis. Quid de Saturno, aliiſque dicam? Circa Solem quoque vagantes illi, & obſcuri, quos notamus, globi,nonniſi novitiæ obſervationis ſtellæ ſunt.Vagantes, quia & ipſi gyris ſuis, ſuóque ordine Magnum lucis fontem ambiunt: obſcuri, quia lumine,quod hauriunt, averſi: globi denique, ut reliqua ſidera; ſed in Sole maculas exiguas quaſdam, & viciſſim lumina, ut idem

obſervavit RHEITA, faciunt. Maculas corpore ſuo, Soli objecto: lumina, quæ ab igni accepta reddunt. Hæc in Cælo: quid mirum, & in terra res numeróſque variari? Pereat alibi Septenarius; in origine dignitatem retinet.

SOPHOS.] Septem Græciæ Sophos, ſive Sapientes fuiſſe, etiam Barbari ſciunt. Hos in ſcenam, ſed ingenio ludens, Auſonius produxit: Solonem, Chilonem, Cleobulum, Thaletem, Biantem, Pittacum, Periandrum. Nonnulli tamen, ſcribente Plutarcho, de εἰ Delphico, ex hoc numero Cleobulum, & Periandrum expungunt: illum Lindiorum, hunc Corynthiorum Tyrannum, & quaſi intruſos. Ergò ne Septem quidem ſunt. Heptas nihilominùs obtinuit, & totidem Sapientiæ Dictis, ſive Scitis celebrata eſt: quæ cùm nuſquam ſatis in promptu ſint, hîc quoque annotentur. Ὅρα τέλος, *Specta finem*: Γνῶθι σεαυτὸν, *Noſce te ipſum*: Ἄριστον μέτρον, *Modus optimus*: Ἐγγύα, πάρα δ᾽ ἄτη, *Sponde, noxa præſtò eſt*: Πλεῖστοι κακοὶ, *Plures mali*: Γίγνωσκε καιρὸν, *Tempus nôris*: Μελέτη τὸ πᾶν, *Meditatio totum*. Quiſquis es, Dicta hæc obſerva; & Sapiens eris: non unus è Septem, ſed tanquàm unus.

DISTICHON II.

Septem Primores, nec eodem munere Scribæ:
Pars Calamis, Graphiis pars decorata ſuis.

LVMINA.

SCRIBÆ.] Primores Septem omninò ſunt. Tres, qui à Secretis nomen gerunt, tanquàm calamo Secreta ſcribant: tres deinde, qui à Graphio, ſive ſtilo, & Acta conſignant: ſed quartus additur, qui

Ærario

Ærario & Quæſturæ impendit operam, & Heptadem complet. Ab hoc igitur numero & ordine rerum Criminalium *Graphiarius* alienus, peculiari appellatione à *Sanguine* dictus, ſed à Rege conſtitutus, quaſi diſtincto munere fungatur. Scribæ etiam minores Septem: Quinque Quæſturæ rationibus, Duo Foſſæ deſtinati; quorum ſingularis in Forma Regiminis mentio, Articulo CCX.

GRAPHIIS.] Scribendi inſtrumenta varia: Graphium, ſive Stilus, Calamus, Penna. Γραφεῖον & γραφίον, à γράφω, quo cera arabatur. Ferreum, fuiſſe, æreum, oſſeum, alii notârunt. A Latinis quoque receptum eſſe, Græcum vocabulũ, Ovidius indicat lib. I. Amor. Eleg. XI.

Quid digitis opus eſt Graphium laſſare tenendo?

Calamus, olim Ægyptius, & Gnidius laudabatur, etiam hodie Græcis in uſu. Nos jam pennâ ſcribimus, & priſcas tamen loquendi formulas uſurpamus. Graphiarii igitur rectè à Graphio, quo Antiqui ſcribebant: Secretarii, à Secretis, quæ ſcribuntur.

DISTICHON III.

Septem nunc etiam Accenſi, de more Miniſtri:
Additur Octavus Conſulis obſequio.

LVMINA.

ACCENSI.] Miniſtri, ut Varroni placet, ſive prœcones Magiſtratuum; *quòd ad cenſum ſoliti eſſent populum vocare.* Sed ut hodie nomina, Famuli Curiæ, atque Oſtiarii; quin & Statores, Apparitores, Viatores poſſunt appellari.

OCTAVVS.] Suum ſinguli Accenſum Septemviri, ceu Famulum ab antiquo habuêre: & ſuum poſteà

Conſul: cujus munus, ratione temporis poſterius eſt; dignitatis, prius. Manet interim Septemvirorum numerus, manet Accenſorum; & qui Octavus eſt, quia additus, extra ordinem habendus.

DISTICHON IV.

Nobilitas diſcreta tenet Conclavia Septem:
Tot dicam Claſſes Plebis, an eſſe Novem?

LVMINA.

CONCLAVIA SEPTEM.] Atria Curiæ interiora, Tribuum numero: ſuo unumquodque, & proprio titulo, atque Inſigni. Patricii verò, mutaturi Septemviratum, ſuffragiorum cauſsâ huc conveniunt, ad ſuum ſinguli Conclave, ſuámque Tribum: prorsùs tanquàm Comitia celebrent. Accedunt iſtius anni Septemviri, & in ſuo quiſque Conclavi, ſuâque Tribu, ſuffragia colligunt.

CLASSES.] Claſſes iſtæ Plebis, *Nationes* appellari ſolent: & quamvis Novem vulgò numerentur; audebo tamen numerum hîc quoque Septenarium celebrare. De Plebe agimus; quæ majorem Civitatis partem facit, minorem Curiæ. In Curia, ſive ipſo Senatu, Septem omninò Viri Plebeji ſunt: Conſul unus, ſed Secundarius; Sex item, qui à Conſiliis, quaſi minores quidam Septemviri, ſive *Scabini*. In Civitate Novem quidem Claſſes ſunt; ſed Septem à Magiſtratu dependent, à quo & Septem Præfectos ſuos, ſive *Decanos* accipiunt. Duæ igitur, velut ſeparatæ, & ſingulares, Curiæ ſubſunt Lanariæ, quam velut Magiſtratum agnoſcunt. Præterea, Septem illæ, ad Septem Tribus Patricias,

cias, à quibus dependent; imò ad Septem Portas, quas cuſtodiunt, referuntur. Reliquæ Duæ, quia nullius ſunt Tribûs, ſunt omnium: & quia nullius Portæ, ſunt Turrium; quarum altera Cærulea, vulgò *den Blauwen Toren*, altera Lanaria, *den VVollendries*. Suo etiam in rebus publicè deliberandis Suffragiorum numero & pondere pollent, & quædam quaſi momenta in conſenſum, vel diſſenſum adferunt. Sed ipſas nunc Claſſes, ut Tutelâ & Tribu munitæ ſunt, Claſſiúmque Opificia, & ſimul Suffragia recenſeo: quod erit, univerſæ Civitatis corpus, in membra ſua diſtinctum, repræſentare.

Prima, D. VIRGINI ſacra, cujus etiam imagine (ut aliæ aliorum Divorum) utitur, ſub *Sleuwiis*, & Portâ Lacenſi. Quinque in hac Opificia ſunt, Præfecti, ſive *Decani*, Decem, Quatuor Suffragiis. Primo, Lanii; Secundo, Cetarii; Tertio, Olitores & Serrarii; Quarto, Auri & Argentifabri.

Secunda, D. ÆGIDIO, ſub *Sweertiis*, & Portâ Flandricâ. Opificia plura, Præfecti Duodeviginti, Sex Suffragiis. Primo, Fiſcella Inſtitoria, quâ Magnarii, Sericarii, Circitores, Aromatarii, Cærulearii, Gemmarii, Pileorum Farctores, Nodularii, Cerearii, Faſciarii, Pharmacopolæ, Cruſtularii, Fibularii, Papyropolæ, Aurocoriarii, Oculariorum fabri, Vaſorum vitreorum, fictiliúmque propolæ comprehenduntur. Secundo, Pinguiarii ac Pullarii; Tertio, Nautæ; Quarto, Stannarii; Quincto, Fluviopiſcarii; Sexto, Pomarii.

Tertia, D. LAVRENTIO, ſub *Hugoniis*, & Portâ Hallenſi, ſive Obbruxellanâ. Opificia Sex, Præfecti Sexdecim, Quinque Suffragiis. Primo, Lanifici; Secundo, Inſolatores; Tertio, Fullones & Pileones; Quarto, Linteones; Quincto, Polymitarii.

Quarta, D. GAVGERICO, ſub *Coudenbergiis*, & Portâ Colonienſi, ſive Scarebecanâ. Opificia Sex, Præfecti Sexdecim, Quinque Suffragiis. Primo, Sartores & Palliones; Secundo, Caligarii; Tertio, Pelliones & Phrygiones, ſive Acupictores; Quarto, Scrutarii & Culcitrarii; Quincto, Chirurgi, ſive Tonſores.

Quincta, D. IOANNI, ſub *Steenweghiis*, & Portâ Lovanienſi. Opificia plura, Præfecti Ter Septem, Septem Suffragiis. Primo, Ferrarii & Veterinarii & Ferri politioris Fabri; Secundo, Patellarii & Æris Fuſores; Tertio, Cultellarii & Cultrarii, Ciſtellarii & Thecopoei, Reſtiones & Figuli; Quarto, Serarii & Horologiarii; Quincto, Pictores & Bractearii & Vitriarii; Sexto, Ephippiopoei & Helciarii; Septimo, Toreutæ, à quibus dependent Arcuarii, Sagittifabri, Arcubaliſtarii, Haſtarii, Folliones, Scutellarii, Palarii, Vannarii, Dolabrarii, Muſtricolarii, Penicularii, Plectropoei, Cribrarii, Calopodiarii, Chelypoei, & alia plura. Præter Toreutas verò, Fiſcellarii & Abiëtarii & Cruſtarii.

Sexta, D. CHRISTOPHORO, ſub *Rodolphiis*, & Portâ Anderlechtenſi. Opificia Quatuor, Præfecti Decem, ſed Quatuor Suffragiis. Primo, Carmentarii; Secundo, Tinctores; Tertio, Hiſpanici operis Sellarii; Quarto, Limbolarii, ſive Fimbriarii.

Septima, D. IACOBO, ſub *Rodenbeciis*, & Portâ Coudenbergenſi. Opificia Septem; Præfecti Viginti tres, & Septem Suffragiis. Primo Piſtores, quibus accedunt Cupedinarii; Secundo, Molitores; Tertio, Cerviſiarii, à quibus dependent Bynepoei; Quarto, Vietores; Quincto, Capſarii; Sexto, Imbricarii; Septimo, Oenopolæ.

Octava, D. PETRO, *Turris Cærulea*. Opificia Quinque: Præfecti Sexdecim, Quinque Suffragiis.

Primo,

Primo, Marſupiarii & Chirothecarii; Secundo, Alutarii; Tertio, Zonarii, quibus accedunt Acicularii, Ligularii, Laternifices, ſive Ferrolaminarii, Æramentarii minores; Quarto, Sutores & Coriarii; Quincto, Cerdones.

Nona, D. NICOLAO, Speculæ Lanariæ. Opificia Duodecim, Præfecti Quindecim, Quinque Suffragiis. Primo, Buccularii & Spatharii, ſive Poliones; Secundo, Calcariarii & Loricarii; Tertio, Sclopopœi; Quarto, Lapicidæ & Cæmentarii & Statuarii & Scandularii; Quincto, Lignarii & Carpentarii & Molarii.

Plures etiam è Plebe Civium utuntur jure; in nullam tamen Claſſem recepti: imò artem aliquam, aut mercaturam excercent, nullo Opificio cenſi. Ita videmus ſtellas nonnullas eſſe, quæ extra imaginem relictæ, lucent nihilominùs, & cæli, ut ſic dicam, Cives ſunt. In Vrbe verò, qui Claſſici non ſunt, poſſunt tamen Cives eſſe; partim Senatui Regio, partim Magiſtratui Vrbis obnoxii. Inter plures eminent Typographi, Bibliopolæ, Bibliopegi, Æris, & Ligni Sculptores. Item, Lintearii, Linarii, & Lanarii Negotiatores, Stragularii, Frumentarii, Nitrarii, Pulverarii, Laterarii, Vitriflones, Aulœdi. Nonnulli quoque, minoris conditionis: qui haleces ſalitas vendunt, aut aſelli ſaliti fruſta, aut muſculos marinos, aut carabos; qui Nicotianam, vinum igne liquatum, poma Aurea, vel Citrea; qui ligna, carbones, ſulphurata, ſmegma vaſatum; qui calcem, ſabulum, lateres, imbrices, tegulas, ſcandulas; qui cereviſiam venum promunt, qui popinam, aut cauponam habent, qui oleum trapete exprimunt, qui comas adoptivas componunt. Sunt præterea Doſſuarii, Bajuli, Geranarii, Vectores, alii; qui certo omnes numero, ac jure ab Vrbe conſtituuntur.

Ad Claſſes igitur quod attinet, CXX. & ultrà conſtant

Opi-

Opificiis, Præfectis CXLV. Suffragiis XLVIII. Ius ſuum ſuffragii, in Subſidiis præſertim, Principi vel Magiſtratui decernendis, ſingulæ obtinent. Suis autem diſtinctæ Opificiis, Locis aſſignatis congregantur, ut deliberent, & Suffragia, ſive in Aſſenſum, ſive in Diſſenſum forment, ac ferant: qui deinde à Conſiliario Claſſis cujuſque exceptus, Scribæ, ad Magiſtratum deferendus, indicatur. Tam mite hìc etiam ac moderatum Regis noſtri imperium eſt, ut non poſſit à Magnitudine Bonitas ſeparari. Et quemadmodùm Sol Mundi lumen ſuum in proxima, atque etiam remota ac infima tranſmittit: ita ille Noſter ad omnes Vrbis Ordines; nec minùs Infimi, quàm Summi, aut Medioxumi curam gerens, eodem omnes affectu complectitur, ac fovet. Nimirum in hoc Vrbis & Reipublicæ Corpore, tria præcipua (& ſic appellantur) Membra ſunt. Primum Magiſtratu conſtat, Secundum Conſilio Latiori, Tertium Populo, in Claſſes iſtas diviſo. Quoties igitur, ſive belli, ſive pacis tempore, publicâ ſuadente utilitate, Subſidia Princeps poſtulat, Populi vel maximè rationem habet: cujus ita ſemper æſtimavit Suffragia, ut ab invito nihil unquam expreſſerit, vel etiam negligere libertatem ejus viſus ſit: firmiora ratus Subſidia & ſalubriora, quæ ab affectu, & cedente cauſſis rationibúſque Conſenſu proveniunt; quàm quæ arbitrio jubentis extorquentur. Conſenſus autem ille niſi Suffragiis Membrorum nitatur, irritam Petitionem facit. Hinc formula quoque, & Magiſtratûs, & Conſilii Latioris: *Niſi in eandem ſententiam Tertium Membrum ſequatur, nullum Conſenſum fore.* Huc facit CAROLI V. inter Principes Maximi, ſuper Regimine Vrbis, Anno CIↃ. IↃ. XLV. Conſtitutio, Articulo XLIX. *Siquando res aliqua, quæ vel nos, vel poſteros noſtros, vel etiam*

etiam bonum ſpectabit Urbis, proponetur; Magiſtratus & Quæſtores, qui Primum conſtituunt Membrum, ſententiam ſuam ſibi ac ſeparatim concipient, ac deinde cum Secundi Membri hominibus communicabunt; ut & hi quid ſentiant depromant. Et Articulo L. *Sententia quidem ſic corrogata, ad Claſſes deferetur, curabítque Conſul, ut in ſuum unaquæque Senaculum, ſive Conclave ſecedat, deliberétque. Cautio tamen eſto, Ne capita aut conſilia in anteceſſum inter ſe conferant, ſive verbis, ſive ſignis.* Nec non Artic. LI. *Claſſes hìc quidem in Conclavia diſpertitæ, de Poſtulatis ſtatuent. Conſiliarii verò & Quæſtores, ad ſuam ſinguli Claſſem ſe conferent, quid ſtatutum fuerit, interrogaturi: atque ea de re ad Magiſtratum referent.* A Sereniſſimis deinde Optimíſque Principibus ALBERTO & ISABELLA CLARA EVGENIA, Anno ∞. IↄC. XIX. novis hæc de Regimine Conſtitutionibus confirmata ſunt.

DISTICHON V.

Indigetes Septem, Septem Luſtralia Fana,
Et Septem colitur parva Minerva Scholis.

LVMINA.

INDIGETES SEPTEM.] Indigetes Antiquis, qui è Civibus Dii facti, quaſi in Diis agentes. *Nec enim de nihilo,* ut Macrobius lib. I. in Somnium, cap. IX. *aut de vana adulatione veniebat, quòd quoſdam Urbium Conditores, aut Claros in Republica Viros, in numerum Deorum conſecrârit Antiquitas.* Nimirum, homines de hominibus bene meriti, cùm vivere inter homines deſiiſſent, ad cælum ſuperſtitione evehi ſolebant. At Chri-

ſtiani

ſtiani ritus quantò ſanctiores! Pietatem, quæ Virtutum omnium baſis eſt, reſpiciunt; ut, qui brevi in terris exantlatâ vitâ æternam meruerunt, Divi fiant, templis, aris, precibus colantur. Suos igitur Vrbes aliæ paſſim celebrant: BRVXELLA ſuos, quos produxit, præter eos, quos aliunde accepit: ſuo etiam Septenario hactenus felix; ut cæli quodammodò imago eſſet, & Septem velut Siderum luminibus radiaret: D. GVDILAM vide, ubicumque nata, Bruxellenſis eſt, & ſe Civem, quia Tutelaris, facit: D. GVIDONEM ANDERLECHTENSEM vide, Bruxellenſis eſt: B. ALENAM DIELBECANAM, cujus ſacrum corpus in Monaſterio Foreſtano quieſcit, Bruxellenſis eſt: B. MARIAM cognomento MISERABILEM, illam Miraculis poſt vitæ ærumnas celebrem, illam Opwoluanam, Bruxellenſis eſt: S. BONIFACIVM, Epiſcopum Lauſanenſem, cujus ſacræ reliquiæ in Monaſterio Camerenſi coluntur, Bruxellenſis eſt: B. ARNVLFVM CORNIBOVTIVM, alumnum Monaſterii Villarienſis, Bruxellenſis eſt: IOANNEM RVYSBROECIVM, verum quendam & fragrantem, in Viridi Valle florem, Bruxellenſis eſt. Bono quidem jure, & bono more. Nam Cives Vrbis dico, quos vel pagus, vel municipium dedit: naſci in Vrbe, qui in pago vel municipio obnoxiis Vrbi: iiſdem enim penatibus cenſeri.

SEPTEM LVSTRALIA FANA.] Parœciæ hîc, ſive Parochiæ Septem: in ſingulis Baptiſteria, ſive ſacræ Luſtrationes. Fanum autem Luſtrale, ut & Aqua Luſtralis, quia luſtrat, purgat, expiat. Hoc myſterio & Sacramento Chriſtiani ſumus, quod ſumus. Nomen accipimus, veram nomine vitam, ac libertatem. Iſido-

Iſidorus ſic ſcribit, lib. II. de Divinis officiis, cap. XXIV. *Cùm baptizamur, per aquam renaſcimur, ut purificati vivificemur.* Addit, *Septem Sacri Fontis* (deſcenſus enim erat) *gradus olim fuiſſe*, numeríque modum & arcanum piè explicat. Conſecratur verò Aqua, ut Luſtralis ſit, ſancto & antiquo ritu; & invocatur Deus, ut homo ſanctificetur. Cypriani verba, ne aliorum referam, ad hanc rem apta, Epiſtolâ LXX. ad Ianuarium: *Oportet mundari & ſanctificari aquam prius à Sacerdote, ut poßit Baptiſmo ſuo peccata hominis, qui baptizatur, abluere.* Sunt igitur Fana hîc Luſtralia Septem: D. Gudilæ, D. Mariæ Capellenſis, D. Gaugerici, D. Nicolai, D. Iacobi Frigidi Montis, D. Catharinæ, D. Ægidii: quemadmodùm Septem Aſiæ Eccleſias D. Scriptor in Apocalypſi ſua recenſet: Epheſum, Smyrnam, Pergamum, Thyatiram, Sardos, Philadelphiam, Laodiceam; Septem Candelabris, Septémque Stellis deſignatas. Obſervatione quoque dignum eſt, Templa Septem nova in VRBE noſtra SEPTENARIA, Septem Olympiadum ſpatio, ac recenti pietate feliciter ſurrexiſſe: Primum, Diſcalceatorum, anno ∞. IↃC. XIV. Secundum, B. MARIÆ Finis Terræ, ∞. IↃC. XVIII. Tertium, Societatis IESV, ∞. IↃC. XXI. Quartum, Diſcalceatarum, ∞. IↃC. XXII. Quinctum, Annunciatarum, ∞. IↃC. XXIV. Sextum, Minimorum, ∞. IↃC. XXIX. Septimum, Auguſtinianorum, ∞. IↃC. XLII.

PARVA MINERVA.] Verba hîc Iuvenalis juvant, è Satyra X.

——— *Vno partam colit aſſe Minervam.*

Ad rem dico: Tot Scholas Vrbis eſſe, ſed Parvas eſſe, quot Luſtralia Fana ſunt: Septem eſſe, cùm ſuam ſingulæ habeant. Sunt autem Parvæ, quia Puerorum, qui

primis hîc Litteris, & Chriſtianæ pietatis rudimentis utiliter imbuuntur. Et quamvis Parvæ; curandæ tamen, & æſtimandæ, tanquàm Magnæ; imò tanquàm & ipſæ Sacræ ſint. Ab hiſce enim ætatis ac diſciplinæ initiis, quicquid deinceps ſperes, procedit: à ſemine fructus, à radice arbor. Horatiana illa ſententia, etſi trita, mihi tamen hîc velut gemma erit:

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

Huc facit, quod de IVSTO LIPSIO, adhuc Septenni, accepimus: in Schola eùm Parœciæ Capellenſis tam feliciter Litteris initiatum; ut à Præceptore genibus ſæpiùs impoſitus, cùm penſa recitaret, in exemplum aliis & æmulationem fuerit oſtenſus. Glorientur Scholæ: Tantus Vir à tantillis his rudimentis, ad clariſſimum eruditionis ac famæ faſtigium conſcendit. Quid verò diſcent in his Scholis ſuis pueri, ne pueri ſint? quid omninò? quod in Synodo Tridentina, ſeſſione XXIII. cap. XVIII. conſtitutum. *Grammatices, Cantûs, Computi Eccleſiaſtici, aliarúmque bonarum Artium diſciplinam.* Computi vocabulum Firmicus ad numeros retulit: nos ad Faſtos; quos digitis complexi, ex tempore computamus.

DISTICHON VI.

Sublevat eſuriem Septem Pia Sportula Menſis,
Tótque Dei Domibus Plebs alimenta capit.

LVMINA.

PIA SPORTVLA.] Fiſcellam voces, quâ vel pecunia, vel cibus portari ſolet. Interdum pro ipſis cibis, ac etiam pro diſtributione ciborum; quæ hîc Pia eſt, & panem,

panem, veſtem, ſtipem, aliáque vitæ ſubſidia includit. Septem autem Menſæ; *quot Opera Miſericordiæ* recenſentur.

TOTQVE DEI DOMIBVS.] Et hæ igitur Septem, bono Plebis, bonorum liberalitate Civium conſtitutæ. Nomen commune à S. Spiritu accipiunt: proprium à ſua unaquæque Parœcia. Hiſce (quod notes) Septemviri, annuo Magiſtratu exacto, & ad novum tranſeuntes munus, ordine ſuo præficiuntur. Litteræ huc faciunt Nicolai IV. Pontificis, quæ in Aureo Privilegiorum libro continentur.

NICOLAVS *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad exercenda & exſequenda ſinceræ pietatis & miſericordiæ opera, Fideles quoſlibet eò propenſiùs excitare cupimus, quò exinde retributionis æternæ præmium, & amplioris meriti gratiam uberiùs ſequi valeant, & cum multiplicato fructu venientes veniant, cum exultatione plenos congerentes manipulos, ac tantò acceptiores ſe Regi Regum Domino offerentes. Sanè pro parte dilectorum filiorum Magiſtrorum Civium, Scabinorum, Proconſulum, Conſulum, Rectorum, & Communitatis Oppidi Bruxellenſis, Cameracenſis Diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat: Quòd Xenodochiorum, hoſpitalium, pauperum, leproſorum, ſive domorum leproſorum, ac certorum aliorum piorum locorum dicti oppidi regimen, & cura, ac negotiorum directio à longis retroactis temporibus uſque modò, ad ipſius Oppidi Rectores pertinuit & ſpectare conſuevit: ac ex eo quod dicti oppidi Rectores, qui pro tempore fuerunt, illa per circumſpectos ac providos viros qui eorum res & bona utiliter diſpenſârunt, & in pauperum ac miſerabilium perſonarum uſus fideliter, legaliter, & caritativè converterunt, & expoſuerunt,*

ſalubriter regi & gubernari fecerunt, partium illarum Chriſti fideles ad hoc reflexum & reſpectum dirigentes, eò promptiùs & abundantiùs pauperibus & miſerabilibus perſonis prædictis ſubvenire, & ad hoſpitalium, & locorum prædictorum opus adjutrices manus liberaliter porrigere curaverunt, & in futurum, auctore Domino, abundantiùs pauperum, & perſonarum hujuſmodi neceſſitatibus & indigentiis ſubvenient, ſi Xenodochia, Hoſpitalia, & loca prædicta per illos, qui ad id per Rectores Oppidi pro tempore exiſtentes, prædictos, juxta dictam conſuetudinem antiquam gubernentur; pro parte Magiſtrorum civium, Scabinorum, Proconſulum, Conſulum, Rectorum, & Communitatis prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his ipſorum hoſpitalium & domorum, ac pauperum & perſonarum indemnitati opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque qui quæcumque Xenodochia, & Hoſpitalia feliciter regi, & in ſalubri ſucceſſu conſervari & confoveri intenſis deſideriis exoptamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ac conſuetudinem hujuſmodi, tanquam rationabilem, Apoſtolicâ auctoritate approbantes & confirmantes, Magiſtris civium, Scabinis, Proconſulibus, Conſulibus, Rectoribus, & Communitati prædictis, ut perpetuis futuris temporibus Rectores oppidi pro tempore exiſtentes prædicti, juxta conſuetudinem præmiſſam annis ſingulis, vel ad tempora de quibus illis viſum fuerit, aliquos providos, idoneos, timoratos, & qui boni teſtimonii viros, ad gubernandum & regendum in temporalibus Xenodochia, hoſpitalia, domos & loca prædicta deputare, ipſique deputati illorum res & bona, nec non eleëmoſynas, ac ea quæ ibidem erogabuntur, ſeu donabuntur, in ipſorum ac pauperum & perſonarum prædictorum opus integrè

conver-

convertere ac exponere valeant, Apoſtolicâ Auctoritate tenore præſentium indulgemus, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, & conceſsionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quadrageſimo, octavo Idus Decembris, Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

DISTICHON VII.

Externis, miſeriſque patent, morbóque gravatis
Septem distinctis Hoſpita tecta locis.

LVMINA.

HOSPITA TECTA.] Præter Pias Menſas, Domóſque Dei, Septem publicæ Pietatis Hoſpitia numerantur, & vulgò Xenodochiorum appellatione, cùm & Noſocomia comprehenſa ſint: S. Ioannis, S. Cornelii, S. Iuliani, S. Iacobi, S. Petri, S. Laurentii, denique Elzenum: totidem etiam ſive templis, ſive ædiculis adornata. Sed illud S. Ioannis ſingulari ſplendore templum eſt, & ab Innocentio II. Pontifice Maximo conſecratum. Is anno ∞. c. xxx. Honorio defuncto, legitimè creatus, & Anacleti II. per Schiſma ſubrogati potentiam fugiens, in Galliam navigavit, continuóque itinere Leodium ad Lotharium Imperatorem ſe contulit. Hinc in Brabantiam profectus, aliquam Bruxellæ mo-

ram traxit, templúmque, quod dico, in honorem D. MARIÆ Virginis, SS. PETRI & PAVLI, S. STEPHANI, SS. MEDARDI & GILDARDI, anno ∞. C. XXXI. Eidibus Octobris, conſecravit; à D. IOANNE interim retinente Xenodochio nomen: quod ſi prioribus jungatur, Septenarius Tutelarium exſurget. Bene eſt, vidit Belgium Pontificem Romanum, vidit INNOCENTIVM II. & præſentem adoravit. Imò bene eſt, audit in Pontificem nunc electum eſſe INNOCENTIVM X. & abſentem jubilans veneratur: electum eo menſe, qui à Septenario nomen capit; die bis Septimo, quo hæc de Septenario Septuagenarius ſcribebam. Solennia verò iſta Conſecrationis, cùm Innocentius II. Sol & Princeps Religionis obiret, ſex ſibi aſſiſtere, veluti totidem Sidera, Epiſcopos voluit: Hugonem Archiëpiſcopum Rothomagenſem, N. Epiſcopum Oſtienſem, Mathæum Epiſcopum Albanenſem, Albertum Epiſcopum Virudunenſem, Gaufridum Epiſcopum Cathalanenſem, Aloyſium Epiſcopum Atrebatenſem. Cæli referre ſimilitudinem viſus eſt: prorsùs in loco Sacro, & VRBE SEPTENARIA; hunc quoque Septenarium conſecrare. Concilium deinde Remis habuit, cui S. Norbertus, & S. Bernardus interfuêre. Mox in Italiam, iiſdem comitantibus, & ab ipſo Lothario Imperatore reductus, pulſo Anacleto, ſedem ſibi ſuam, aut potiùs Eccleſiæ, vindicavit.

HEP-

HEPTAS V.

AD QVINCTVM SEPTEMVIRVM.

DISTICHON I.

Sacræ bis Septem Statuæ, queîs porrigit ægro
Alma ſalutiferam VIRGO *vocata manum.*

LVMINA.

BIS SEPTEM STATVÆ.] Statuæ Virginis Dei Matris, verè Thaumaturgæ. Bis Septem, & numero bis Virgineo; imò bis ſterili, ut fœcundiſſimus eſſet: Miracula, ſive Beneficia innumera. Septem igitur Veteres ſunt, Septem nuperæ, aut novæ. Veteres iſtæ: Virginis Sabulenſis, anno ∞. CCC. XLVIII. Antverpiâ non ſine Miraculo advecta, à Ioanne III. Brabantiæ, & Henrico Limburgi Duce ſolenni pompâ introducta. Virginis Pacis, in D. Nicolai. Virginis Septem Dolorum, in D. Gaugerici. Virginis à Sanguine, ibidem. Virginis Proceræ, ſive Gaudiorum, in D. Gudilæ. Virginis Avicinii, in D. Franciſci. Virginis Scheutanæ, apud Carthuſianos; qui cùm ex agro in Vrbem migrarent, hoc ſecum Palladium attulêre. Res memoratu digna eſt, & ad Septenarium peculiari ratione ſpectat. Non procul ab Vrbe, Occidentem versùs, in loco, qui à teli jactu *Scheut* appellatur, Ædicula erat, & in ea Statua D. Virginis, Miraculis celebrata. Hunc Locum, hanc Ædiculam, hanc Statuam, Senatus Populúſque Bruxellenſis, in gratiam Philippi Boni, Ducis ſui, Ordini Carthuſiano

aſſignavit, anno ∞. CCCC. LIX. IX. Kal. Aprilis. Structum mox Monaſterium, additúſque cenſus, quo Septem Sacerdotes (ipſum hîc putes numerum religioſum eſſe) & tres, quatuórve, ut appellant, *Converſi*, commodè alerentur. Templum poſteà Caroli V. Imperatoris piâ liberalitate perfectum. Sed quid? Gliſcente poſteà belli, quod adhuc ſævit, tumultu, & Templum, & ipſum quoque Monaſterium impio furore everſum. Boni igitur Patres ſede ſuâ pulſi, toto Septennio (mira vis numeri!) extorres, variâque jactati fortunâ, ad ruinas reliquiáſque Monaſterii poſtliminiò rediêre. De inſtauratione actum: ſed melius conſilium placuit, Relicto agro, in Vrbem, Regi & Religioni jam redditam, Sacra, & bona transferre. Transferunt, novum Monaſterium templúmque ſtruunt: quod cùm Statuam illam Scheutanam reciperet, in ipſa videbantur Vrbe agri pietatem collocare.

Statuæ verò Novæ ſunt: Virginis Matris Miſericordiæ, in templo Societatis IESV. Virginis Auxiliatricis, in D. Iacobi. Virginis Boni Succeſsûs, apud Auguſtinianos, nuper è Scotia allata: cujus hiſtoriam limatiori ſtilo Cornelius Curtius, præmaturâ Ordini ſuo morte abreptus, delineârat. Virginis Roſularum, in D. Gudilæ, *quaſi plantatio Roſæ in Ierichо*. Virgo Silvaducenſis, è S. Gaugerico, in D. Iacobi Frigidi Montis à Sereniſſimo FERDINANDO Principe, Septimo, & ultimo Regiminis anno, tranſlata: eleganter & facundè ab Othone Zylio, Societatis IESV Theologo & Philologo deſcripta. Virginis Finis Terræ, in nova Vrbis regione. Virginis Solitariæ, apud Carmelitas Excalceatos. Statuæ igitur bis Septem ſunt, Vna Virgo, multiplici favore Vrbem ſibi dilectam beans, in qua ingenti fervore & colitur,

tur, & ab antiquo culta eſt. Hinc Septem etiam illæ Matris Dei, à Majoribus inſtitutæ, & ad poſteros propagatæ Sodalitates, quæ Virgineo fœcundæ numero, uberrimos Religionis fructus ad omnes omninò Cives extendunt. Prima eſt, Septem Gaudiorum Virginis, in D. GVDILÆ, erecta anno ∞. CCC. LXII. Secunda, Septem Dolorum, in D. Gaugerici; cùm pari myſteriorum numero, diſpari affectu iſtìc læta ſit Pietas, hîc triſtis, Deum in Virgine, Filium in Matre propitium venerans. Tertia, Pacis & Concordiæ, in D. Nicolai, pulcherrimo ſanè ritu. Quid enim majus meliúſve aut petant à Deo homines, aut Deus hominibus concedat? Quarta, Virginis (ut à loco cognomen ſumitur) Ripariæ, in D. Catharinæ; ac Nautas præcipuè comprehendit. Quincta, Avicinii, non minùs amœnâ quàm piâ appellatione, apud Franciſcanos. Sexta, Roſarii, ſelecto quoque titulo, apud Dominicanos. Septima, Viſitationis, apud Carmelitas. Quid attinet dicere? Plures etiam, ſed minores, creſcente Civium in Dei Matrem cultu, Sodalitates natæ, plures videntur Heptades impleviſſe. De Sacris verò Supplicationibus quidni addam? Septem annuæ in uno & Summo Templo ſunt: quas Septem Ordines Sacri & Aſcetici comitantur; eo etiam ordine, quo in Vrbem admiſſi. Minimi, Cappucini, Beggardi, Auguſtiniani, Dominicani, Carmelitæ, Franciſcani. Ordo autem euntium hic eſt; ut Iuniores admiſſione præcedant, ſequantur Seniores.

DISTI-

DISTICHON II.

Horas ære cient dimenſas Organa Septem,
Organa Dædaleis irrequieta rotis.

LVMINA.

ORGANA SEPTEM.] Publica Horologia, quæ non indice tantùm horas in limbo circumſcriptas notant; ſed ære quoque & malleo pulſant, ac velut loquuntur. Olim Vmbra (ut & hodie,) vel Aqua (nobis Arena eſt,) in uſu erat: unde Gnomon, & Clepſydra: nuper nova iſta, & quæ rotis agitatur machina inventa eſt; vel pondere librari ſolita, vel laminâ tendi. Hinc motus, & per æquata, ſive *dimenſa* temporis ſpatia radius impoſitus circumducitur. Sed videre Horas, ſatis non erat; audire libuit, ut noctu & ſono haberentur. Mox & deliciæ acceſsêre, ac præludere Horis muſico concentu ars cœpit, ære & aëre aures oblectare. Concentu, inquam, ſed adhuc turbido & imperfecto, niſi tinnitus pulſu excitatus, cohiberi rurſus poſſit, & exigente harmoniæ ratione tempeſtivè obfuſcari, imò extingui. Nimirum in modulis ſoni & ſilentii vices ſunt, temporíſque lege obſervantur: ſed niſi tam facilè à ſono ad ſilentium venias, quàm à ſilentio ad ſonum, omnis confuſione perit ſuavitas, & ars ipſa violatur. Non igitur ære canere ſatis eſt, diſcordia naſcitur: majoris ingenii res erit, ære tacere.

DÆDALEIS IRREQVIETA ROTIS.] Ratio in Vitruvio, & artifices fortaſſis noſtros ingenioſos reddidit. Docet ille libro X. cap. XIV. *Quomodò rotis dentatis, quæ in rheda vel navi aptantur, peractum iter ingeniosè*

nioſè dimetiamur. Sed iſthîc calculi ſunt, qui rotatu circumacti, & per fiſtulam ejecti, in pelvim cadunt, ſonúmque edunt: in noſtra machina malleus eſt, qui pondere & motu ſublevatus, in æs, ſupernè ſuſpenſum, recidit, vel retorquetur, horámque ſonat. Horologia verò hujuſmodi, etſi paſſim in uſu; Bruxellæ tamen quodammodò excellunt, tam ſono ſuavia, quàm tempore accurata. Septem ſunt: Primum, D. Nicolai, in meditullio quaſi Vrbis, & ipſius Vrbis Horologium, ſingulare ac celebre, ad quod reliqua diriguntur. Sequitur illud D. Gudilæ, Templi Capellæ, Sabuli, D. Mariæ Magdalenæ, D. Ioannis, denique D. Virginis à Fine Terræ appellatæ. Suum ac ſeparatum Palatium Principis habet; ſed tanquàm extra numerum, quòd Aulicis potiùs, quàm Civibus, horas, & horarum partes diſtinguit. Suum quoque mœnia, ſed interiora, in Porta, quæ Paranaloma, ſive *Perditorum ſumptuum*, appellatur.

DISTICHON III.

Nocturni Septem Vigiles, tutela quietis,
Quos & Vulcanus, quóſque Laverna timet.

LVMINA.

NOCTVRNI SEPTEM VIGILES.] Tempore, & Numero definiti. Tempore Nocturni ſunt: ut & olim Vigiliæ; cùm ad diem, & ſimul noctem Excubiæ referantur. Partim etiam Caſtrenſes erant, partim Vrbanæ, & quaſi Caſtrenſes. Sed noctis cujuſque quatuor Vigiliæ; tres in ſingulis Vigiles: de quibus Auſonius in Gripho Ternarii numeri:

No-

——— *Noctiſque per umbram*

Tergemini Vigiles.

Vt enim Horas nox duodecim, ita & Vigiles habebat: ut etiam quæque Vigilia tres Horas, ita & tres Vigiles, & ſuam quiſque. Antiquitùs verò, qui Vrbani, Cuſtodes quidam Vrbis erant, ad vim, vel etiam incendium avertendum. Alludit Plautus Amphitruone, ne alios citem, Act. 1. Sc. 1.

Rex Creo Vigiles Nocturnos ſingulos locat.

Romæ poſteà *Septem cohortes Vigilum*, ſcribente Paulo Iuriſconſulto; *ut binas regiones Vrbis unaquæque cohors tueretur.* Septem, inquam, cohortes, ſub Tribunis ſuis, Præfectóque Vigilum; qui titulum in Digeſtis Iuris poſſidet. *Hunc per totam noctem vigilare debere, & coërrare caligatum*, idem Paulus notat. Noſtri igitur hi Vigiles pervigiles ſunt: totam ferè noctem vigilant, diem in noctem mutant; imò noſtri hi Vigiles, ut ad Numerum veniam, Septem ſunt, Cives, non Milites: quorum alii in plateis errant, alii in turribus excubant. Errones, quatuor, ignis cuſtodiam proclamantes: præter illos, qui cum lumine cornu clauſo ambulant, canem ducunt, & haſtâ armati, limina luſtrant, fores pulſant, fures arcent, horas cantillant, quæ vera quoque *quietis tutela* eſt. Sed Excubitores, tres, iíque tubicines ſunt, & è ſpeculis ſuis Vrbem caligine & ſomno ſepultam vigilantes obſervant: ſicubi incendium forte erumpat, cives cornu excitent. Horum quoque eſt, Horas clangore indicare, ne dormire ipſi videantur. Sic & tubæ tanquàm Horologia perſonant.

VVLCANVS.] Μετωνυμικῶς pro igni & incendio: quaſi Vulcanus hos Vigiles timeat. Sic & Laverna pro furibus, qui à Dea ſua Laverniones appellantur.

DISTI-

DISTICHON IV.

Aulœdi Septem, miſcentes Cornua Nervis:
Atque quater Septem Tympana rauca boant.

LVMINA.

AVLOEDI SEPTEM.] An Auletæ? Latinè Tibicines. Ἀυλὸς Græcis tibia: hinc vocabulum; de quo in Ciceronis loco, pro Muræna, *Eos Auletas eſſe, qui Citharœdi fieri non potuerint*, Critici dubitant, an *Aulœdos eſſe* vera ſcriptura ſit. Ab Auleta calamum Auleticum Plinius ducit, lib. XVI. cap. XXXVI. & Orchomenium eſſe. Ptolomæus Cleopatræ pater, quia tibias per mollitiem tractavit, Auletes dictus, Regnóque pulſus eſt. Ad rem: Aulœdi hîc mihi Muſici γενικῶς, qui Inſtrumentis variis canunt: non Tibicines tantùm, ſed & Cytharœdi, & Lyriſtæ, cæteríque id genus. Addidi igitur: *Miſcentes Cornua Nervis*; ſed prout aut pompa publica, aut ſolennitas, aut ſupplicatio (his enim adhibentur) modos exigit.

TYMPANA.] Tympanotribæ, rursùs μετωνυμικῶς. Olim in Sacris Rheæ, ſive Matris Deûm, tympanum pulſari ſolitum; hodie Martis eſt, variíſque modis in militia, præſertim pedeſtri, uſurpatur. Quemadmodum ordines duci videmus, in principiis, rurſúsque ante vexillum hic ſonus eſt: quem Magnus ille belli Dux, ANDREAS CANTELMVS, ille nuper Catalauniæ Prorex, & Militiæ Hiſpanicæ Archiſtrategus, ut ingenio præſtabat, ad omnem militum gradientium motum dirigendum, mirâ ſolertiâ flectebat & variabat. Loqui Tympanum putaſſes; ſed milites tympano, quando, &

quomodò greſſum proferre,referre,aut firmare debeant, moneri. Pulſum conſidero, qui apud Germanos potiſſimùm, & verè Gradivos, virilis eſt, & (quemadmodum VENDELINVS noſter, magnus ille Siderum myſta,& nihil non indagans,obſervavit)numeros Pentametri versûs Dorico & Martiali modo exprimit,etiam Belgis paſſim uſitatus: ſignis hîc ſuis exprimendus.

— — — — — — ∪ ∪ — ∪ ∪ —

Si & verſus placet, hunc apto, & adjungo:

Germanum Martem Tympana rauca boant.

DISTICHON V.

Septem vendundis ſunt ſcrutis Circuitrices,
Rumoriſque vagi nuncia mille ferunt.

LVMINA.

CIRCVITRICES.] publicâ auctoritate conſtitutæ,ut circumeant. Dictæ, quemadmodùm Circuitores, vel Circitores; *quibus Veſtiarii, vel Lintearii* (verba Vlpiani D. de Inſtitoria actione, titulo v.) *dant veſtem circumferendam, & diſtrahendam.* Sed Bruxellenſes illæ Septem, & circumferunt ſedulæ, & diſtrahunt juratæ, emptorémque extra ſuſpicionem fraudis collocant.

NVNCIA MILLE FERVNT.] Vt mercium, ſic rumoris gerulæ. Quæ audiunt, narrant: id facile, quia circumeunt, & libenter narrant: mulieres enim ſunt, natæ ut loquantur.

DISTI-

DISTICHON VI.

Pronuba dat Septem famulantum Iuno catervam:
Dat Lucina ſuam, dat Libitina ſuam.

LVMINA.

PRONVBA.] Iuno Pronuba nuptiis præeſt, Lucina puerperio, Libitina (ſive ea Venus, ſive Proſerpina) funeri. Miniſtræ Iunonis Pronubæ, Septem Mulierculæ ſunt, quæ cognatos, propinquos, affines ad nuptiale convivium ſolenniter vocant, ſingulari & antiquo (capitis præſertim) ornatu; tanquàm matrimonii majeſtatem in his quoque ritibus ſuſpicias. Miniſtræ Lucinæ, Septem Obſtetrices, quas à Magiſtratu conſtitui, & Iuratas eſſe, ad partûs ſecuritatem facit. Ita enim, quod Vlpianus requirit, D. De inſpiciendo ventre, leg. 1. *probatæ & artis & fidei* erunt. Miniſtræ Libitinæ, Septem quædam quaſi præficæ ſunt: ſi non ſemper comitantur, curant certè quæ ad pompam exequiarum faciunt.

DISTICHON VII.

Sunt Veſpillones Septem, qui, quantula diro
In ſcrobe ſint hominum corpora nuda, docent.

LVMINA.

VESPILLONES.] Non minùs difficile ſepeliri, quàm naſci: nec mulieres hîc tantùm; ſed & viri operam locant. E priſco & Latino ritu Pollinctores erant, Sandapilarii, Libitinarii, Veſpillones; quorum munia, etſi diſtincta, promiſcuè tamen nomina accipiun-

piuntur. Veſpillones hîc autem nobis (& fortaſſis καταχρηστικῶς) qui ſepulchra ſive in templis, ſive in cœmiteriis effodiunt, circa cadaveraoccupati. Vitam igitur cum mortuis ferè agunt; tanquàm quotidie diſcant mori.

HOMINVM CORPORA.] Non fruſtrà Iuvenalis, quem Diſticho illo imitari volui, Sat. X.

——— Mors ſola fatetur,
Quantula ſint hominum corpuſcula.

Quod Mors fatetur, Veſpillo docet: ſed diro, & ferali ſcrobe, quod magnis, & Sapientiæ præceptis Philoſophi, moriendum eſſe. Fructus hic eſt, non timere mortem; vitam & conditionem vitæ naturâ ac neceſſitate metiri. Ita Seneca, & hunc putes velut Veſpillonem loqui, Epiſtolâ XCI. *Non eſt, quòd nos tumulis metiaris, & his monumentis, quæ viam diſparia prætexunt* (ad viam enim olim ſepulchra.) *Æquat omnes cinis: impares naſcimur, pares morimur.*

NVDA.] Breviter dicam: quemadmodùm naſcebantur. Prorsùs finis hominis ad principium redit: quem *nudum,* ut Plinius ait, *in nudâ humo, natali die, Natura abjicit.* Si quoque malè veſtitum & pannoſum, nudum dicimus (Senecæ formula eſt,) quidni & mortuum, jam jam ferali ſcrobi inferendum? Dives vivas licet; pauper morieris: ornatus, ſplendidus, purpureus; pauperis inſtar, nudus ad ſepulchrum venies. Propertius hîc philoſophatur, lib. III. Elegiâ IV.

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas,
Nudus ad infernas, ſtulte, veheris aquas.

HEP-

HEPTAS VI.

AD SEXTVM SEPTEMVIRVM.

DISTICHON I.

Septem ſunt viduis, & longi noctibus Anni,
Queîs vacuo flebat Nupta jacere toro.

LVMINA.

SEPTEM SVNT VIDVIS.] *Anni*, & *Noctes viduæ* apud Poëtas. Sed quinam hîc *Septem Anni vidui*, quæ numeri, nominíſque ratio, jucundâ narratione aperiam. Anno ∞. c. quantum ſcire licet, Godefridum noſtrum (qui Barbati poſteà, & Magni cognomen habuit) in Syriam ad Sacrum bellum proficiſcentem, non exigua Civium Bruxellenſium manus, relictis domi uxoribus, comitati ſunt; non tam felices, quàm animoſi, ac pii. In ipſa enim hac expeditione, cum Duce ſuo capti, longiúſque detenti, periiſſe dicebantur. Fidem fama invênit; & Nuptæ, tanquàm viduæ vivebant: aliquæ etiam, quia longior mora erat, novis connubii facibus accenſis, noctes viduas in maritas commutârant. Quid deinde? Dividenda Hiſtoria eſt, ut Verſus interveniant, paucíſque lineis reliquam imaginem comprehendant. Nova deinde Lumina, nova oblectamenta. Mora etiam exigua reliquam lectionem, quia ſuſpenſam, jucundiorem faciet.

DISTICHON II.

Sed redière domum peregrino à Marte Mariti;
Omnis quem celebrat Femina læta diem.

LVMINA.

REDIERE DOMVM.] In fine anni Septimi, ipſo redeunte Godefrido, XIV. ſive bis Septimo Kalendas Februarii. Quantum gaudium! quanta lætitia! Alii invenerunt uxores ſuas, alii recuperârunt: & hæ maritos. Novas diceres Vrbe totâ nuptias celebrari. Suum unaquæque tam amanter ſuavitérque excepit; ut cupediis delinitum, & mulſo vinóque irrigatum, è convivio ad cubile planè ſatullum tranſportârit. Putares, inverſâ ſcenâ, Romanos à Sabinis rapi. Durat igitur ſolenni adhuc ritu rei memoria; moríſque eſt, Viros quotannis, & ſtato hoc die (quem & Faſti receperunt) à Mulieribus ad thalamum bajulari. Nomen ſic jam obſcurum non erit, illud *Vrouwkens Avend*, id eſt, Mulierculaum Veſpera: an dicam, Veſperna?

DISTICHON III.

Septem ſunt Portæ, ſileat ſua mœnia Cadmus:
Arces eſſe putes, nec niſi Martis opus.

LVMINA.

SEPTEM SVNT PORTÆ.] Vrbes pleræque, veteri ritu, Portas Septem, numero nominibúſque Stellarum Errantium habuêre. Et hæc SEPTENARIA noſtra Septem: partim Veteres, ſive Interiores; partim Novas, & Exteriores. Interiores ſervare numerum ſuum, qua-

quatuor dirutis, non potuêre: Superſtites autem partim carceribus, partim aliis uſibus deſtinatæ. Septenarius etiam fortaſſis placuit; quia Septem aliquando hîc Dynaſtæ; Septémque à Dynaſtis Familiæ. Certè ſuam illi ſinguli,& hæ ſingulæ ſuam ſibi obnoxiam habuêre:imò adhuc habent, à minori circuitu ad majorem poteſtate prolatâ. Sed ut de Novis dicam, hæ ſunt: Lovanienſis, in Orientem directa. Proxima, Algidomontana, ſive Namurcenſis, Meridiem versùs. Huic Hallenſis, ſive Obbruxellenſis. Inde Anderlechtana, in Occidentem declinans. Tum Flandrica. Poſteà Lacenſis, ſive Mechlinienſis, Septentrionem versùs. Denique Scarebecana, ſive Colonienſis. Novæ ſunt, quia anno ∞. CCC. LVII. cum ipſis mœnibus ſtrui cœperunt, annis bis Septenis abſolutæ. Sed quemadmodum Septem Portæ ſunt; ita Turres Septuaginta Septem, quaſi minores quædam Arces: quæ circuitu ſuo quandam velut Coronam faciunt. Sanè, quemadmodum Cybele olim, ſive Terra, Turrita erat, Turribúſque coronata: ita BRVXELLA, ſæpiùs Turrita, Terram totam, Vrbéſque omnes repræſentat.

SILEAT SVA MOENIA CADMVS.] Thebas ſuas. Plures hoc olim nomine Vrbes: præcipuæ tamen illæ in Ægypto à Buſiride conditæ, Ἑκατόμπυλοι, id eſt, centum Portarum; & illæ in Bœotia, à Cadmo, quas Amphion muris cinxit, & Portis ornavit, & verè fecit Vrbem. Ἑπτάπυλοι, à Septem Portis, paſſim apud Poëtas. Sanè, ut Thebæ Thebæ eſſent, vel Centum, vel Septem claudendæ erant Portis: ita enim & patebant maximè, & ornatiſſimæ erant. Sed illa, priùs Cadmi, deinde Amphionis Vrbs, Septem portas à Septem Lyræ nervis, ſive tonis accepit, notante Philoſtrato; niſi ad Septem Amphionis filias referre, cum Hygino, ma-

lis. Quod præterea de his Thebis Ovidius, lib. II. Triſtium; id ego de BRVXELLA aptè dixerim:

Sunt Septem Portæ, ſub Duce quæque ſuo.

Nimirum Septem Thebis Duces erant, qui ſinguli ſingulis præerant Portis; ſed & Septem, qui Vrbem oppugnârunt. Videndus Statius in libris Thebaïdos, Hyginus in Fabulis, A. Gellius lib. III. cap. X. ex Hebdomadibus Varronis. Erat autem Bruxellæ (ut è diſtributione Opificiorum diſcimus, & hîc etiam dicimus) Porta Lovanienſis ſub Steenwegiis, Namurcenſis ſub Roodenbeciis, Hallenſis ſub Hugoniis, Anderlechtenſis ſub Rodolphiis, Flandrica ſub Sweertiis, Lacenſis ſub Sleuwiis, Scarebecana ſub Coudenbergiis.

ARCES ESSE PVTES.] Imò verò, Septem Portis Vrbem non patêre tantùm, ſed præmuniri. Vt vaſtæ, ſic pulchræ ſunt; nec minores eſſe poterant, ſi ratio Vrbis, & vaſtæ, & pulchræ haberetur. Diogenes ſalsè aliquando, cùm exigui oppidi portam ingentem conſpiceret, elatâ voce, *Claudite*, inquit, *Cives*, *Portam*, *ne Vrbs exeat.* Nimirum proportione omnia, ordine, & ſymmetriâ conſtant; quæ hîc ſanè cùm religiosè obſervata ſint, nullus Sarcaſmo locus eſt; aliquis Diogeni, etiam in Palatio dolium inventuro. Quot igitur Portæ, tot Arces; imò verò tot unius Vrbis Vrbes ſunt, aut certè una Septenis, diverſique Genii regionibus coaleſcit. Vna circuitu, exitu aditúque varia, aliâ aliáque amœnitatis facie ridens; quemadmodùm ipſæ Portæ diſtinguuntur. Lovanienſis enim ad montes viam aperit, Namurcenſis ad ſilvas, Hallenſis ad piſcinas, Anderlechtenſis ad agros, Flandrica ad paſcua, Lacenſis ad fontes; Scarebecana ad hortos. Vt iſtuc redeam, dubitare poſſis, an Portæ Arces ſint, an Arces

Por-

Portæ. Si Portæ Arces, Vrbs munita eſt; ſi Arces Portæ, ornata. Mœnia autem, quia amœna, iſtis ſeu Portis, ſeu Arcibus digna ſunt: ornant Vrbem, dum muniunt; muniunt, dum ornantur. Et ſatis ſic quidem quà hominibus, quà jumentis, & curribus Vrbs patuit; ſive utilitatem, ſive amœnitatem ſpectes: non ſatis, ut naves, & provinciæ totius commercia muris ac ſinu reciperet. Meatus quidem juxta Foſſam erat, exiguo ædificio, ponteque ſublicio. Sed quid? Intumeſcentes nuper aquæ, & velut indignatæ, viliùs terrâ ſe haberi, Portam, ubi oſtium duntaxat erat, poſcere viſæ ſunt, & jus ſuum flagitare. Structa igitur eſt, non ut in numero, ſed ut ſingularis eſſet; opere nova, nomine Aquaria. Ornata quoque, quia novæ plateæ, novæ ſtationes navium, novæ ripæ, & quaſi actæ acceſſêre: quas ſi inſpicias, Vrbem Mediterraneam, Maritimam arbitreris.

DISTICHON IV.

Et Colles Septem, ſublimis imagine Romæ:
Stagna, quot exundans oſtia Nilus habet.

LVMINA.

COLLES SEPTEM.] Primus, Algidus, ſive Palatinus, in quo Aula: templum quoque D. Iacobi, cum Monaſterio perantiquo Canonicorum Regulæ S. Auguſtini, quorum Antiſtes Præpoſiti anteà, ſed modò Abbatis dignitate eminet, Pedo Mitrâque inſignis, & præcipuus pridem Duci Brabantiæ à Sacellis. Secundus, Michaëlinus, in quo Summum templum, Vrbis Tutelaribus ſacrum. Tertius, Cœcus, à foro Lignario versùs vicum & Gradus Iudæorum. Quartus,

Sio-

Sionius, in quo Monaſterium Virginum S. Eliſabethæ. Quinctus, Olitorius. Sextus, Sabulinus, in quo inſigne templum D. Mariæ. Septimus, Petrinus, in quo Cœnobium Virginum S. Petri.

IMAGINE ROMÆ.] Roma paſſim Græcis Scriptoribus Ἑπτάλοφος, id eſt *Septicollis*: quo & Cicero vocabulo uſus, ad Atticum, lib. VI. Epiſtolâ V. Ἐξ ἄστεως ἑπταλόφου τειχῶν, *Ex Vrbis Septicollis mœnibus*. Suam etiam hîc numerus cauſſam habuit, plenus boni ominis, ſumma quaſi omnia, ab ipſis auſpiciis portendens: imò & Oraculo præſcriptus, ut Dionyſius lib. IV. refert, quaſi in Fortunæ incunabulis, cùm Servius Tullius muro Septem Montes complectebatur, Vni Vrbi Orbis Imperium Septenarius promitteret, ille Minervæ ſacer. Hinc Septimontii feſtum, ac feriæ, annuâ ſolitæ memoriâ ac religione innovari; ut ſcribit Plutarchus, in Quæſtionibus Romanis. Septem quoque diverſis ſacrificatum eſſe locis, Feſtus notat. Sublimem igitur, ſive altam, Septem juga Vrbem faciebant. Propertius, lib. III. Elegiâ XI.

Septem Vrbs alta jugis, toti quæ præſidet Orbi.

Iuga vides: alii Montes, ſive Colles, alii culmina nominant: Virgilius Arces, lib. II. Georg.

— *Rerum facta eſt pulcherrima Roma,*
Septem quæ una ſibi muro circumdedit Arces.

Iterúmque lib. VI. Æneid. Sic & Silius lib. X.

——— *Septem Arces fumare videntur.*

Septem verò principio erant: Palatinus, Capitolinus, Quirinalis, Viminalis, Eſquilinus, Cælius, Aventinus. Vide Commentarios meos in locum Flori, Irruptionibus adjunctum Barbarorum.

STAGNA.] Ellipſis eſt: *Stagna* enim, pro *Tot Stagna*:

gna: cùm ſatis ſit, ſequi, *Quot Oſtia*. Stagna autem lamæ quædam, ſive lacunæ ſunt, *Aquarum*, ut Feſto placet, *collectio & ſtatio*, ad quam jumenta, & equi potiſſimùm minari ſolent. Incendiis quòque extinguendis perquàm opportuna. Primum, Algidi Montis, exadverſùm Equili Regio. Secundum, Sabuli. Tertium, D. Ioannis, in meditullio quaſi Vrbis: in quem adulteri, adulteræque, pœnæ & ignominiæ cauſsâ, corbe immergi ſolent. Quartum, in Foro Antiquo Boario. Quinctum, in vici Scarebecani parte ſuperiori. Sextum, ibidem, in inferiori. Septimum, propè portam Flandricam. Sed Secundum, & Quinctum nuper oppleta.

Ostia Nilvs.] Ovidius lib. v. Metamorph.

— *Septem diſcretus in Oſtia Nilus.*

Virgilius dixerat: — *Septem diſcurrit in ora.*

Alludit Iuvenalis:

Rari quippe boni: numero vix ſunt totidem, quot
Thebarum Portæ, vel divitis Oſtia Nili.

A Placido Lactantio in octavum Thebaïdos Statii, hoc ordine recenſentur: Peluſion, Tananticon, Medeſiacon, Factamicon, Seveneticon, Volveticon; Ptolomæo tamen Novem ſunt, Plinio Vndecim: alii variant.

DISTICHON V.

Sunt Fora bis Septem, lætæ commercia Pacis:
Nil potuit Magno pulchrius eſſe Foro.

LVMINA.

Fora bis Septem.] In quibus res venum exponuntur. Sunt Prima, & ſunt Secunda. Prima quidem: Magnum, Piſcarium, Boarium, Frumentarium,

Equa-



PANARIVM VETVS,
REGIVM NVNC PRÆTORIVM,
IN FORO.

Equarium, Lignarium, Olitorium. Secunda: Altilium, Suarium, Lactarium, Caſearium, Carbonarium, Linarium, Scrutarium.

LÆTÆ COMMERCIA PACIS.] Sit foris bellum licet, in Foro Pax eſt: quæ cùm læta ſit, læta Commercia facit; Commercia Vrbem. Hæc autem, ut Vlpianum exprimam, *in emendi vendendíque invicem jure conſiſtunt.* Eſſe & belli commercia, ſcire malo, quàm explicare.

MAGNO PVLCHRIVS ESSE FORO.] Forum ſimpliciter, & per Antonomaſiam dicitur, laudémque à magnitudine, & pulchritudine capit. Si magnitudinem conſideras, longum paſſibus LXXX. latum XLIII. Si pulchritudinem, Curiâ (ne de curioſiſſimi operis Turri dicam) & Regio ornatum Prætorio, quod *Panarium* vocant, à Sereniſſima Belgarum Principe ISABELLA CLARA EVGENIA, pulcherrimo titulo D. MARIÆ Pacis dicatum; referente Annum Inſcriptione, quam in Imagine adjuncta legas. Cætera pleraque circùm ædificia, totidem ſive Curiæ, ſive Prætoria videntur.

DISTICHON VI.

Huc Septémque viæ patulæ, Septémque meatus
Occulti ducunt: his juvat ire dolis.

LVMINA.

VIÆ PATVLÆ.] Plateæ publicæ: quæ & ipſæ pulchræ, perviæ, & ſemper plenæ; quot domibus, tot tabernis variarum mercium ſtipatæ: tot quaſi fora, ut in forum venias.

SEPTEMQVE MEATVS OCCVLTI.] Qui clandeſtinum ad Curiam, velut intimam Vrbis Arcem, aditum aperiunt; utiles in diſcrimine aut periculo, ſive occupare forum ex occulto libeat, ſive occupatum liberare. Factum anno ∞. IↃ. LXXX. Milites Regios huc induxerat Egmondanus, Plateas illas Septem inſederat, ſatíſque jam tutus ac ſecurus videbatur. Sed Tympelius, quem Ducem turbulenti habebant, quod vi non potuit, dolo tentavit, & per occultos hos Meatus, callidè ſuos immittens, Regios aggreditur, disjicit, pellit. Feliciter, quia ex inſidiis, & improviſo. Aliâ pugnâ opus jam non erat: in foro Vrbem occupârat. Invenire laudem dolo poterat, ſi pro Rege, & ad compeſcendum tumultum pugnaviſſet. Sed Rebellio obtinuit, & ſub Rebellibus Civitas toto Septennio fuit.

IVVAT IRE DOLIS.] Viæ hæ doloſæ ſunt, doloſi qui eunt; ne mirum videatur, iri dolis, id eſt per dolos: imò ne mirum videatur, utile & jucundum id eſſe. *Conſutis dolis venire*, apud Plautum eſt; ut tunicis ſolemus, & *circumducere aliquem per dolos*, quod eſt fallere, apud eundem. Hîc viæ fallunt, ac dolo fallunt; quia latent, & ignorantur.

DISTICHON VII.

Hîc quoque magnificæ erectæ molibus Ædes,
Ordine ſtant Septem, ſtant velut una Domus.

LVMINA.

VELVT VNA DOMVS.] Dubites, in una Septem ſint domus, an Septem unam faciant. Lapideæ omnes, ornatæ, pretio & arte ſingulares.

HEP-

HEPTAS VII.

AD SEPTIMVM SEPTEMVIRVM.


DISTICHON I.

Majores Septem Turres; quæ fornice Divum
Vrbis Septeno ſuſtinet, eximia eſt.

LVMINA.

SEPTEM TVRRES.] Quæ verè Turres ſunt, & eminent: D. MICHAELIS, miraculi inſtar, alta pedes CCC. XLVI. D. GVDILÆ, Dextera, ac Siniſtra, altæ pedes CC. LXII. D. NICOLAI. D. GAVGERICI. D. VIRGINIS Capellæ. D. IOANNIS. Minores, ſive Templorum, ſive Palatiorum, innumeræ. Sunt & illæ Mœnium, vaſtam ſtipantes Speculam, numero, ut dixi, Septuaginta Septem; quæ orbem propemodùm conſtituunt, & Vrbem quaſi coronant. Specula autem, ut & ſuos oſtentet Septenarios, vicies Septenis pedibus, exteriore parte mœnium, aſſurgit.

EXIMIA EST.] Admirandum Vrbis ornamentum, & pulcherrima hæc Turrium Turris eſt, Gothico conſtructa opere, & è medio Curiæ frontiſpicio exſurgens, Sublimem illam D. MICHAELIS ſtatuam, Septem fornicibus, ad faſtigium gradatim elatis, ſuſtinet, & quaſi oſtentat. Statua hæc ærea eſt, & verè aëria, anno ∞. CCCC. LIV. impoſita, novem alta pedes, cum ſemipede, & inaurata: mobilis quoque circa axem ferreum, & globo inſiſtens æreo, variam ventorum ſtationem, converſione ſuâ diſtinguit. Imò mobilis, & in


CVRIA VRBIS BRVXELLENSIS.

gyrum facilis; tanquàm in omnem partem pro ſalute Vrbis excubet, & totam è centro, ut ſic dicam, cæleſti tutelâ circumſcribat. Non poterat nobiliori loco poni Statua; non poterat ſublimiori ipſe Genius coli.

DISTICHON II.

Septena Hymenæus habet lucentibus Atria tædis:
Tot ſunt Criſtatis verticibus Putei.

LVMINA.

LVCENTIBVS ATRIA TÆDIS.] Certa & conſtituta loca, ſive Cœnacula, in quibus Nuptiæ plebejæ celebrantur. Sed cur Septem? An quia tot Patriciorum familiæ, tot familiarum Domus? Etiam Populo in Nuptiis Pallas placuit, ut Iunonem ſuam nobilitaret. Sic caſtam quoque habet Venerem: ſic Amorem non ſinit extra thalami ſepta evagari. Antiquitùs verò Faces & Tædæ in nuptiis præferri ſolent; *quòd*, ut Varro ait, *nonniſi per noctem Nubentes à Sponſis ducebantur.* Ad rem noſtram verba Catulli faciunt, de Coma Berenicis:

—— Optato quos junxit Lumine Tæda.

PVTEI.] Non fruſtrà Pindarus: Ἄριστον μὲν ὕδωρ: *Optima quidem Aqua:* Sine qua certè nec homines poſſunt, nec animalia vivere. Quia verò non ubique fontes, rivi, amnes ſunt, Putei effodiuntur. Bruxella quidem Aquæ dives, præter fontes, rivos, amnes, etiam Puteos habet, partim Privatos, partim Publicos; quorum Septem Criſtati, ſive Coronati ſunt, ſupernè è ferreo opere, & in ornamenta flexo, rotâ dependente. Publici iſti, ac præcipuè Criſtati, in locis Vrbis altioribus, cùm ima, & fon-

tium ſcaturigine, & amœniſſimi amnis fluxu, imò flexu irrigentur. Profundi igitur ſunt,& ſic puriores: emendatiſſimis enim venis latices manant, & fontium æmulatione. Communes autem, ut majorem inter Cives, eâdem utentes aquâ, amicitiam concilient: ſicuti apud Argivos olim, eodem Puteo uti, arctiſſimæ ſocietatis vinculum erat. Inter Criſtatos verò illos, unus hîc mihi præcipuè laudandus, qui in Compito Canterſteniano. Res memorabilis eſt, imò nupera, neque à Muſarum amœnitate aliena. De Equo & Aqua, non fabula, ſed hiſtoria: poterítque, ut olim Fons ab Equo, ita nunc & Puteus nominari. Per Compitum, quod dixi, eſſeda bijugis curſu declivi agebatur, Illuſtriſſimum IO. VELASCIVM, Comitem Salazarium, contubernio mihi olim familiarem, vehens. Auriga jam Puteo proximus, cùm in dexterum vicum habenas flecteret, neque tempeſtivè contraxiſſet gyrum, vehementiùs impulit equos, quaſi juxtà tranſcurſuros. Is qui labro vicinus erat, ſiniſter, inquam, ne impingeret, viribus nitens, ſéque erigens, tranſilire Puteum conatus eſt: ſed retardantibus impetum loris, ac deinde pondere fractis, præceps in profundum lapſus eſt; ſed quod maximè mireris, ſine vulnere, aut læſione. Fit clamor, & concurſus hominum: mox etiam in puteum aliqui deſcendunt, caſum exploraturi. Sed ipſe vivere ſe equus oſtendit, & ferociam retinere. Igitur agi cœptum, ut extraheretur. Varius labor, ſed irritus, cùm primo etiam conatu recideret; donec velo nautico ſuccinctus, & eductus, luci & rhedæ redderetur: dignus profectò, aut Putei imagine, aut Pegaſi nomine, cùm & ſine alis volârit.

DISTI-

DISTICHON III.

Sunt bis Septeni, Nympharum gloria, Fontes:
Ipſa ſuis Septem Curia manat Aquis.

LVMINA.

BIS SEPTENI.] Imò ter Septeni, ſi & Curia computetur. Sed illi bis Septeni, quibus Vrbs ornatur, partim Veteres, partim Novi ſunt. De Veteribus ſi quæras, locum faciliùs, quàm originem aſſignem: In Foro Magno, in Foro D. Nicolai, ad Portam Hallenſem, ad Lacum D. Ioannis, ille Pueri mejentis, robuſtâ ſcaturigine celebris, ille D. Virginis in Fullonum vico, ille denique Cæruleus cognomento. Novi novâ etiam laude digni: in Foro Lignario, in Foro Piſcario, ille propè D. Gaugerici, ille in Foro Herbario, ille in Plateâ Nova, ille in vico Claudorum, ille ad Septa Aulæ. Fortaſſis & aliorum induſtria tertiam conſtituet Heptadem, creſcente quotidie Vrbe, quæ Aquarum, & Optimarum fœcunda eſt; creſcente Populo, qui Aquas amat.

CVRIA.] Suos etiam Septem Fontes Curia, in qua omnia ſunt Septem, habet, Aquâ vel maximè præſtantes; partim ſub Dio, partim ſub tecto: prorsùs, ut ubi magnificentia eſt, ibi & amœnitatem invenias.

DISTICHON IV.

Scinditur in Septem præceps Divortia Senna,
Et labens linquit commoda multa ſui.

LVMINA.

SENNA.] Amnis non Magnus, ſed præceps, per anfractus tamen lenior, & quia Septem Divortiis (quæ totidem inſulas alibi naturâ, alibi arte faciunt) retardatur. Nimirum quia utilis, circumduci debuit, nec ſine vectigali, ut ſic dicam, dimitti. In Hainovia ortus, à Meridie ſubit mœnia, nec otioſus per diverticula ſua diffluit. Pontes, de quibus mox dicturus ſum, ſibi impoſitos ſuſtinet, Moles patitur, Molas verſat; quæ & ſuo numero Septenarium exhibent: Frumentariæ, Fulloniæ, Papyraceæ, Oleariæ, Politoriæ, Pulverariæ, Corticariæ. Amnem ames, toto ſe præbentem Vrbi alveo, & Vrbem Amnis cauſsâ, Alutariis vel maximè, Tinctoribus, cereviſiariis ſervit. Hauritur, coquitur, bibitur; & Senna tamen eſt. Navium etiam patiens, ne vacuus aut otioſus abeat, merces avehit, cùm & interdum advehat. Sic dimiſſus, Vilvordiámque deinde permenſus, in agro Mechlinienſi, non procul Heſſenâ pago, Diliæ miſcetur, & cum aquis nomen ſimul effundens, Senna eſſe deſinit.

DISTI-

DISTICHON V.

Foſſa licet penetret, licet Amnis dividat Vrbem,
Ad ſe bis Septem Pontibus ipſa redit.

LVMINA.

FOSSA.] Hic celeberrimus ille Aquæductus eſt, non fluminum modò, ſed ipſius quoque Oceani commercium in Vrbem invehens: incredibili ſumptu, & continuo decem annorum effoſſus labore, cùm plenam Senna, liberámque non præſtaret navigationem. Non amnis hîc tamen peccabat, ſed homines; qui in ſuos fluentem fines, & ſic tanquàm obnoxium, catenâ vincire auſi ſunt, & vectigalem duro ſatis imperio habere. Bruxellenſes igitur, quia aliorum nolebant beneficio navigare, oſtenderunt, duci Aquas poſſe, quò natura non mitteret; imò cogi Terram poſſe, ut Aquas reciperet. Tantæ molis auctor directórque, cum æterna inclytæ gentis ſuæ laude IOANNES LOCQVENGIENIVS, Toparcha Cockelbergius, Prætor tum Vrbis, conſilio ingenióque uſus GEORGII RINALDI. Is Nobili & Antiquâ apud Inſubres familiâ, apud Belgas famâ, à Machinis, Conſiliiſque Bellicis ALEXANDRO FARNESIO Parmenſium Duci, & perfamiliaris, Architectus admirandi Pontis illius fuit, quo Scaldis ſtratus, Antverpia domita, & plures ſimul Vrbes in poteſtatem Regis redactæ & reductæ ſunt. Trahitur igitur Vilvordiâ (hoc enim principium fuit) Willebroecum uſque, variis diſtiñcta ac ſuſpenſa Cataractis Foſſa; placueràtque, ab Vrbe Bruxella Vilvordiam uſque Sennâ uti. Cæterùm animadverſo, fluvium ſine diſcrimi-

crimine immitti in Foſſam non poſſe,eo neglecto,quod reliquum erat viæ,continuo alveo emenſi ſunt,opúſque in ipſa Vrbis mœnia, anno ∞. IↃ. LXI. feliciter extenderunt. Aquæ ab Vrbe in Rupellam labentis proclivitas, ſenſim producta (quod ipſo ſpatio mirum) Septies Septem pedibus computatur. Vt videas quoque, ne Vrbe quidem claudi Septenarium poſſe, Septeni omninò foris Pontes Foſſæ incumbunt. Sed an Septies quoque unâ navigatione navis mutetur, curioſi examinent.

PONTIBVS.] Suis dividitur Vrbs Aquis, & velut duæ fiunt; Pontibus jungitur, & in unam denuò coaleſcit: hoc enim eſt *Ad ſe redire*. Septem omninò primi ac publici ſunt, quos Major Senna; Septem Minores, quos Minor ſuſtinet.

PRÆFECTI FOSSÆ.

Ab Anno ∞. IↃ. LXXXIX.

∞. IↃ.	
LXXXIX.	*Antonius de Locquenghien, Eques, Dominus de Melsbroeck,* Ad Annum uſque XCIII.
XCIII.	*Franciſcus Abſelons,* Ad Annum XCVI.
XCVI.	*Ioannes du May.*
XCVII.	*Henricus de Donghelberghe, Eques, Dom. de Zillebeke, &c.*
XCVIII.	*Antonius de Locquenghien, Eq. &c.* V.
XCIX.	*Antonius de Locquenghien, Eq. &c.* VI.
∞. IↃC.	*Ioannes du Queſnoy.*
I.	*Ioannes du Queſnoy,* II.
II.	*Henricus de Donghelberghe, Eq. &c.* II.

Caro-

III. *Carolus de Lathem, Eques, Dom. Curiæ S. Stephani, &c.*
IV. *Carolus de Lathem, Eq. &c.* II.
V. *Antonius de Gottignies, Dominus de Neder-Yſſcha, &c.*
VI. *Ioannes de T'ſerclaes, Eques, Dom. de Neder-Ockerzele, &c.*
VII. *Theodorus Schotte*, I. V. L.
VIII. *Ioannes de T'ſerclaes, Eq. &c.* II.
IX. *Antonius de Gottignies,* II. cui ad Senatum vocato ſucceſſit,
X. *Ægidius de Buſleyden, Eques, Dom. de Levergem, &c.*
XI. *Ioannes de Bruxelles.*
XII. *Engelbertus van Raveſchot.*
XIII. *Henricus de Donghelberghe, Eq. &c.* III.
XIV. *Renerus de Baronnaige, Dom. de Craynhem.*
XV. *Renerus de Baronnaige, &c.* II.
XVI. *Carolus de Lathem, Eq. &c.* III.
XVII. *Ægidius de Buſleyden, Eq. &c.* II.
XVIII. *Antonius de Locquenghien, Eq. &c.* VII.
XIX. *Renerus de Baronnaige, &c.* II.
XX. *Balthazar de Laureten.*
XXI. *Franciſcus vander Cruycen,* I. V. L.
XXII. *Franciſcus vander Cruycen,* II.
XXIII. *Gerardus de Oyenbrugghe.*
XXIV. *Gerardus de Oyenbrugghe,* II.
XXV. *Antonius de Locquenghien, Eq. &c.* VIII.

Ad Annum XXXV.

XXXV. *Fredericus de Marſelaer, Eq. Dom. de Parck, Eelewyt S. Huberti, Harzeaux, &c.*
XXXVI. *Fredericus de Marſelaer, Eq. &c.* II.

Hiero-

XXXVII. *Hieronymus du Queſnoy, Eques.*
XXXVIII. *Fredericus de Marſelaer, Eq. &c.* III.
XXXIX. *Hieronymus du Queſnoy, Eques,* II. In cujus locum ſuffectus eſt
Balthazar de Laureten. II.
XL. *Balthazar de Laureten.* III.
XLI. *Adrianus vã Bauſele, D. de Brack, Heyler. etc.*
XLII. *Adrianus van Bauſele, &c.* II.
XLIII. *Ioannes vander Thommen*, I. V. L.
Ad Annum XLVI.

Præfectos hos omnes exhibere hîc libuit; ut ſuus quoque Novo iſti, ſed Eximio muneri honos haberetur. Novum eſſe numerus oſtendit, Pauci ſunt; Eximium eſſe, ipſa Dignitas, Patricii ſunt, & è Nobilitate eliguntur.

DISTICHON VI.

Cætera quid memorem? numera: ſunt omnia Septem,
PALLADIS *& totâ cernitur Vrbe decus.*

LVMINA.

OMNIA SEPTEM.] Et longum ſit recenſere. Quædam etiam minuta ſunt, caſu potiùs, quàm conſilio in Palladis numerum adſcita. Erit aliis inveſtigandi locus, erit & ſcribendi. Si quis inveſtigare volet omnia, inveniet quod agat: ſiquis ſcribere omnia, plus quàm quod agat. Sed mihi hîc philoſophari lubet, ut oſtendam, Omnia ubique Septem eſſe, omniúmque ideam Vrbem hanc unam exhiberi. In Cælo quidem, ut dixi, Errantium Siderum globi & ignes, qui Terram, & quæ hîc variantur, regunt, Septem ſunt: in Terra homo Septenarius, in homine tota iterum quaſi Natura. Etjam

jam quæ fiunt ubique, è Septem omnia cauſſis oriuntur. Fiunt enim, ut Ariſtoteles docet, lib. I. Rhetoricorum, διὰ τύχην, διὰ βίαν, διὰ φύσιν, δι' ἔθος, διὰ λογισμὸν, διὰ θυμὸν, δι' ἐπιθυμίαν: *Fortunâ, Vi, Naturâ, Conſuetudine, Ratione, Irâ, Cupiditate*. Fortunâ autem fieri, *quorum cauſſa indefinita eſt, nullo etiam deſignato ſcopo*. Vi, *quæ inviti, aut contra conſilii noſtri rationem facimus*. Naturâ, *quorum adjuncta & ordinatæ cauſſæ ſunt, ipſiſque rebus inſertæ*. Conſuetudine, *quæ idcircò facimus, quia ſæpiùs fecimus*. Ratione, *quæ non ſolùm conducere videntur, ſed eo etiam conſilio & fine fiunt, ut conducant*. Irâ, *quæ vindictam reſpiciunt*: Cupiditate, *quæ oblectationem atque voluptatem*. Cicero quoque in Topicis, ad eundem numerum Cauſſas deduxit: ad *Neceſſitatem, Voluntatem, Perturbationem animi, Habitum, Naturam, Artem, Caſum*. Neceſſitate fieri (ipſius verbis utar) *ut omne intereat, quod ortum eſt*. Voluntate, *ut tu, cùm hunc libellum legis*. Perturbatione, *ut ſiquis eventum horum temporum timeat*. Habitu, *ut facilè & citò iraſcatur*. Naturâ, *ut vitium in dies creſcat*. Arte, *ut bene quis pingat*. Caſu, *ut proſperè naviget*. *Nihil horum ſine Cauſſa, nec quicquam omninò*. A Cauſſis ad Virtutes venio (& his fiunt omnia,) ſed illas primas, & Quatuor, quæ omnes continent, è tribus autem animi partibus oriuntur: ad Prudentiam, inquam, Fortitudinem, Temperantiam, Iuſtitiam. Singulæ enim, & vario quidem myſterio, Septenarium ſibi vindicant. Prudentia primo loco; ne fruſtrà putes, Septem Sapientes Græciæ celebrari. Hinc Septem quoque Artes ingenuæ, & libero homine dignæ: in Muſica *Septem diſcrimina vocum*; de quibus in Muſathena mea: Septem Studiorum gradus apud Platonem, VII. de Legibus. Lycurgus quoque, ſcribente Plutar-

cho, quater Septenos Senatores inſtituit; ut pleno hoc Prudentiæ numero Reſpublica regeretur. Ait enim, Septenarium Quaternario multiplicatum, impleri ac perfici. Vigeſimus etiam octavus in Centenario, ut & Sextus, Perfectus eſt. Fortitudo ſequitur, & ipſa Septenaria: quâ imagine Ariſtophanes in Ranis θυμοὺς ἑπταβοείους, *Animos Septemplices*, ſive *è Septem coriis*, tanquàm verè fortes ac viriles uſurpat, ſumptâ ab Ajacis clypeo metaphorâ, qui ἑπταβόειος erat, id eſt, ut Euſtathius explicat, ἑπτάπτυχος, ἑπτάβυρσος, paſſim apud Poëtas celebratus; quemadmodùm & Septemplices clypeorum orbes. Temperantia verò parſimoniâ & frugalitate colitur, ac conſtat: Frugalitas Septenario. M. Atilius Regulus, Primi belli Punici gloria cladéſque maxima, Septem jugera agri poſſedit, & Rex ſibi viſus eſt. L. etiam Quinctius Cincinnatus Septem, & dives fuit. Etiam Scaurus Septem, & nihil virtuti defuit. Ipſe Scipio Æmilianus, *poſt duos* (Valerii verba ſunt) *inclytos Conſulatus, totidémque ſuæ præcipuæ gloriæ triumphos, Septem ſervis ſequentibus officio legationis functus eſt*: prorsùs ut jam triumphare modeſtiâ videretur: neque enim mancipia ejus, ſed victoriæ numerabantur. Iuſtitia reliqua eſt, ac per totam ſe Rempublicam diffundit, omnes omninò Virtutes complexa, quia maximè Septenaria: Cives omnes, quia ſalutem omnium ſuo numero comprehendit; imò quia ſine hac ne Cives quidem ſunt, imò ſine hac ne quidem Boni. Contractus reſpicio, qui Iuſtitiæ ſunt, & vitæ Civilis privatìm negotia, publicè vincula; Græcis συναλλάγματα dicuntur. Hæc verò Ariſtoteles lib. v. De Moribus, in ἑκούσια, & ἀκούσια dividit: in ea inquam, quæ *ſponte noſtrâ*, & quæ *nobis invitis fiunt*. Ἑκουσίων igitur Septem eſſe modos: *Venditionem, Emptionem,*

ptionem, *Mutuum*, *Fidejuſſionem*; *Commodatum*, *Depoſitum*, denique *Locationem*, ſive μίσθωσιν, quæ conductionem comprehendit. Ακουσίων verò, quæ Injuſtitiam conſtituunt, duo eſſe genera. Alia enim Clandeſtina eſſe, alia Violenta. Clandeſtina eſſe Septem : *Furtum*, *Adulterium*, *Veneficium*; *Lenocinium*, *Servi alieni corruptionem*, *Necis inſidias*, *Teſtimonium falſum*. Et Violenta Septem: *Verbera*, *Vincula*, *Mortem*, *Rapinam*, *Debilitationem corporis*, *Maledictum*, *Contumeliam*. Illa quoque Iuſtitiæ pars, quæ bono publico ſuum cuique jus pro dignitate cujuſque tribuit, ſymbolum à Septenario ſumit. Etenim ſiquid in partes juſtas legitimáſque diviſum eſſe dicimus, in Septem eſſe dicimus: cujuſmodi nobis adagium Homerus verſu uno & ſæpiùs Septiéſque uſurpato, ſuppeditat:

Καὶ τὰ μὲν ἔπταχα πάντα διαμοιρᾶτο δαΐζων.

Omnia Septenas in partes ritè ſecabat.

In Agrorum quoque diviſionibus Septenaria olim ratio ſolennis Romæ fuit: quemadmodùm non uno Senatuſconſulto Septena agri jugera Plebi aſſignata legimus. Hunc Iuſtinianus numerum obſervans, jura ſua tanquàm jugera cenſuit, & aptam Iuſtitiæ Legibúſque diviſionem uſurpavit. Verba ejus ſunt Præfatione ad Senatum in Pandectas : *Et in Septem partes eas digeſſimus, non perperam, neque ſine ratione; ſed in numerorum naturam & artem reſpicientes, & conſentaneam eis diviſionem partium conficientes.* Virtutes propoſui, atque hæ ratione, velut normâ, conſtitutæ, vim & dignitatem ſuam Septenario obtinent. Verum enimverò non ſemper in tranquillo homines ſunt: motibus animi atque perturbationibus obnoxii, nunc lenioribus, & tanquàm auris quibuſdam; nunc violentis,

M 2 tan-

tanquàm ventis & procellis. Dixeris, vitam totam humanam, negotia, vota fluere ſemper, ſæpiùs concuti & quaſſari. Hæ autem Perturbationes, Græcè Κινήσεις (ut Ariſtoteli viſum eſt, lib. 1. De Anima) Septem ſunt, ac movent ubique omnia: δυπεῖσθαι, χαίρειν, θαῤῥεῖν, φοβεῖσθαι, ὀργίζεσθαι, αἰσθάνεσθαι, διανοεῖσθαι. *Dolere, gaudere, confidere, timere, iraſci, ſentire, ratiocinari.* Sed ſatis iſta, ut omnia habeas. Et compendio ut dicam, omnia Septem eſſe; cum Cicerone adhuc dicam, Hunc numerum, *rerum ferè omnium nodum* cenſeri. Sed de Artium numero inſtitui quæſtio poſſit: Cur Septem ſint; quam Mercurii & Philologiæ à Martiano Capella deſcriptæ Nuptiæ expedient. His enim totus ille ingenii Circulus conſtitutus eſt, Grammaticam, Dialecticam, Rhetoricam Mercurii complectens nomine & numine; Arithmeticam, Muſicam, Geometriam, Aſtronomiam, Philologiæ. Etenim ſi litteræ utriuſque, in ſummam colligantur, rejectis Novenariis, Septenarium numeri ſuperſtites daturi ſunt. Ternarius, inquam, & Quaternarius: Ille Mercurii, & è ꝏ. CC. XVIII. Hic Philologiæ, & è IↃ CC. XXIV. Sed Myſtica hæc ratio eſt, breviter hìc nobis aperienda; ut verba ſimul Martiani aliquid lucis accipiant. Nuptura Cyllenio Philologia, *An ætherei verticis pennata rapiditas* (Mercurium vides) *apto ſibi fœdere copuletur, ex nuptiali congruentia numero conquirit.* Quid prætereà? *Nomen ſuum, Cylleniíque vocabulum in digitos calculúmque diſtribuit: non quòd ei diſſonans diſcrepantia nationum, nec diverſi gentium ritus, pro locorum cauſſis cultibúſque finxêre; verùm illud quod naſcenti, ab ipſo Iove ſidereâ nuncupatione compactum, ac per ſola Ægyptiorum commenta vulgatum, fallax mortalium curioſitas aſſeverat.* Quaſi dicat, non Mercurii, non Cyllenii, aut ſiquæ alia ſunt,

ſunt, alibi uſurpata: ſed unius Θωὺθ, quod Ægyptium eſt, & à quo primus etiam Ægyptiorum menſis appellatur. Solebant autem Magi antiquitùs, ſiquid è nominibus ſcrutari vellent, numeros, quemadmodùm litteris notantur, in ſummam colligere; hanc autem per Novenarium partiri: ſiquis ſupereſſet, nominis numerus erat; ſi nullus, ipſe Novenarius. Θωὺθ igitur quatuor litteris ſuis ∞. CC. XVIII. ſuppeditat. Θ΄ novem, iterúmque in fine; ώ octingenta; ύ quadringenta. Hæc ſimul ſumpta, & per Novenarium ſecta, relinquunt Ternarium, qui numerus nominis eſt Θωὺθ, ſive Mercurii. At φιλολογία conficit IↃ CC. XXIV. φ΄ quingenta; ί decem, ac repetitur; λ΄ triginta, gemino etiam numero; ό ſeptuaginta, gemino; γ΄ tria; ά denique unum. Quæ collecta, & per Novenarium diviſa, relinquunt Quaternarium, numerum nominis Philologiæ. Adfert Mercurius Ternarium, Philologia Quaternarium, & Septenarium conſtituunt. Vnde Artes.

PALLADIS.] Heptadem eſſe Palladem in principio dixi: Palladem eſſe Sapientiam, nemo ignorat. Bruxella igitur, quæ omnibus ferè rebus Septenaria, non poteſt niſi Palladis decus tota nobis repræſentare. Sic regitur, ſic regit; juſtiſſimis fundata legibus, optimis ornata moribus, ipſo Genio ad civilitatem & humanitatem facta. Non unæ Athenæ Palladis ſunt: ſed Bruxellam auſim Athenas appellare. Alibi homines, hîc Viri ſunt; alibi viri, hîc Sapientes. In uno oppido, tanquàm Sapientiæ domicilio, reliqua, ut ſic dicam, gubernantur. Quid etiam? diſcuntur alibi Palladis artes, hîc florent, foventur, ac perennes ſunt. Artes, & ſic virtutes, quæ ſolæ privatim ſalutem, publicè gloriam procreant, & Heptade continentur.

DISTICHON VII.

Septem quid mirer vaſti Miracula Mundi?
Tot veluti Mundos Belgica PALLAS *habet.*

LVMINA.

MIRACVLA MVNDI.] Græcis Θαύματα; tanquàm admiratione digna; ſic dicta, quòd communem rerum ordinem, ac modum excedant. Celebrari paſſim ſolent: Dianæ Epheſiæ Templum, Mauſoli Regis Cariæ Sepulchrum, Coloſſus Solis apud Rhodios, Iovis Olympici ſimulacrum, Muri Babylonis, Pyramides Ægypti, Domus Cyri Medorum Regis. Septem ſunt, & eſſe Septem, hocipſum pro Miraculo eſt: quippe, quæ ſingula magna & ſtupenda, Septenarii myſterio in unum velut Miraculorum corpus coaleſcunt. Sed profectò Mundus unus, ſi Septem cenſetur Miraculis: plures erunt Mundi, ubi ſæpiùs Septem ſunt Miracula. SEPTENARIVM enim Miraculum eſſe, ſatis jam dixi; & ſæpiùs Bruxellæ inveniri, ſatis.

FINIS.

ERY-

ERYCI PVTEANI
BAMELRODI
VRBIS BRVXELLÆ
ELOGIVM,
VELVT LOQVENS IMAGO.
AD THESAVRARIOS VRBIS,
RELIQVVMQVE MAGISTRATVM.

BRVXELLA, delicium Belgicæ, Brabantiæ decus, nomen ſuum, ſive à *Ponte*, ſive à *Palude* (ne remotiora indagem) olim acceptum, Regio ſplendore illuſtrat. Vt fama ſurgeret, etiam montes occupavit. Læta aëre, opulenta aquis, ac toto ſitu amœna, ſerenam ubique faciem explicat. Nihil pulchrius ſalubriúſque fontibus, publicè privatímque cryſtallino latice ſcaturientibus: nihil utilius Sennâ fluvio, qui à meridie influens, molas ſibi impoſitas præceps, & quaſi feſtinans, verſat; Papyrariis, Alutariis, Fullonibus, aliíſque utilis, & quaſi obſequioſus. Cereviſiæ verò coquendæ aptiſſimus, potum æmulatione vini abundè ſuppeditat, non magno alveo innumera alia, & ingentia adducens commoda. Foſſam mireris, decem annorum opus, etiam reluctante quaſi amne, manibus factam, & facilem navigationi, ingentis inſtar fluvii eſſe. Ejus beneficio Rupela & Scal-

diſ, ipſéque adeò Oceanus patuit. Sed Vrbs ab origine armis dedita, ac prorſus virilis, belli fortunæ par fuit. Septem inde Dynaſtæ, qui productis ad poſteros nobilitatis, dignitatiſque titulis, Septem ſibi Familias fecêre. Hinc Patricii. Vni verò obnoxia Principi Reſpublica, magis magiſque conſtituta eſt: cúmque ſub Comitibus ſuis adoleſceret, crevit ſub Ducibus, & maturum quaſi robur accepit. Antiquitas novem ſæculis computata, fidem temporis à rerum monumentis capit. Arcem hîc quoque fuiſſe, & in eo quaſi loco, ubi nunc Palatium Principis, memoriæ tabulis conſtat. Præfecti igitur erant, quos vernaculâ voce *Burghgravios* dicimus, munere inclyti, & ante Gotefridi Barbati Ducis tempora. *Vicecomitum* hodie appellatione ſunt, & prærogativas ſuas obtinent. Mœnia vide: Vetera & interiora, quadrato ſtructa lapide, totum claudere populum non potuêre: Nova ampliore ſpatio, Anno ∞. CCC. LVII. circumduci cœpêre, LXIX. abſoluta. Centum quoque ſeptuaginta ſeptem diſtincta turribus, quas inter una velut ſpecula eminet, è vivo cæſóque ſaxo. Ambitus Vrbis XXV. millibus pedum ſexcentis comprehenſus eſt. Sedecim prætereà, variis intercurrentibus aggeribus, propugnacula nuper circumjecta, non arcendo tantùm hoſti, quamvis potenti, ſed frangendo. Portæ ad ornatum maximè faciunt, velut arces; Septem numero, & quaſi à Septem adhuc Dynaſtis regantur. Hinc Septena ferè omnia, quæ jure aut opere publica ſunt, munere aut miniſterio, conſilio aut caſu. Si interiorem ſpectas faciem, domus alibi, an aulæ ſint, dubites. Prima ac præcipua ipſius Principis, cœpta à Ioanne Tertio Brabantiæ Duce, atque ita paullatim ampliata, ut Regibus poſteà Cæſaribúſque in ſedem placuerit.

Veſti-

Veſtibulum majeſtate plenum, Atrium ingens, Sacellum illuſtre, conclavia ſplendida, porticus ſpatioſæ. Fontium perennium miracula in colle ſtupeas, & hortos, quaſi labyrinthos, aquis paſſim proſilientibus irrigari. Hîc nemus muris clauſum, Dianæ deliciæ; hîc vites, matura quotannis ubertas Liberi. Reliqua ſeu minora pulcherrimi corporis membra, minorum Principum ac Magnatum Palatia ſunt. Vnum Civium, & publicum, Vrbis quæ Curia eſt, corona populi, decus fori: à ſe magnifica, maiorem ab ipſo Magiſtratu ſplendorem ſumit, Turri raræ altitudinis, Gothicæ, ſed admirandæ ſtructuræ, inſignis. Adverſum fori latus Prætorium occupat Regium, à Pane appellatum, atque Tribunalia tria continet; quorum uno poſſeſſionum ſacrarum controverſiæ, Venationum, Aucupiorum, Piſcationum; altero, Nemorum; tertio, Vectigalium deciduntur. Plateæ pulchræ, latæ, lætæ; nonnullæ acclives. Quanta verò hîc rerum omnium copia! quanta felicitas! tanquàm cornu ſuum Amalthea effundat. Sive homines ſpectes, deeſſe videantur alimenta, quæ tantæ frequentiæ ſufficiant; ſive alimenta, deeſſe homines, qui abſumant. Domus domui juncta eſt, taberna tabernæ, officina officinæ. Aliquid hîc præcipuè Vulcani eſſe, aliquid Minervæ; arma peritiori fabrefacta manu, & tapetes, toto terrarum Orbe celebres, oſtendunt. Hi nimirum opifices habent, quo Civitatem ſuam non propugnent tantùm, ſed ornent: & ab his alii. Habent, quod ubique invenias, & quod ſibi ſoli vindicent; digni Vrbe, quam ſuam manu & ingenio faciunt. Templa ſi luſtres, Septem primaria ſunt, Parœciæ appellatæ, quibus etiam pleriſque Collegia adjuncta Sacerdotum. Divæ Gudilæ auguſtum eſt, eo erectum loco, quem

D. Mi-

D. Michaël, Vrbis Tutelaris, ab antiquo obtinuit. Erectum, vel potiùs auctum ornatúmque à Balderico Comite, circa annum ∞. XLVII. ut Divæ corpus huc ex æde Gaugericiana tranſlatum, illuſtriúſque conditum, majori pietate coleretur. Gemina in frontiſpicio turris, ſociati cultûs inſigne monumentum eſt, geminum non Templi tantùm, ſed Vrbis decus. Acceſſit venerabile (& cui non notum?) trium ſacrarum Hoſtiarum, ſanguinem manifeſto aliquando miraculo ſtillantium, pignus, & veluti Palladium: quod non ſine horrore intuearis. Duæ etiam Sacræ Præfecturæ ſuâ hîc dignitate lucent, quarum una in D. Iacobi Æde, Pedo & mitrâ inſignis; altera in Divæ Mariæ Capellenſis. Novam poſteà, & ſingularem Divo Michaëli Patres Societatis IESV ædem ſtruxêre, inſigni opere, magno ſumptu; niſi ampliùs ſit, inſignem & magnam pietate eſſe. Reliqua & templa; & loca pia fruſtrà recenſentur. Monaſteria verò viginti Septem invenias, alia vetera, alia nova, vel ſtipe, vel cenſu ſuſtentata. Viva præterea ornamenta Viri ſunt, quorum virtus, doctrina, fama ubique nota. Corpus hoc Civitatis eſt; nunc animam ac mentem, quæ Regimine Sacro, Regio, Vrbico, conſtat, repræſento. Sacrum, verè ſacrum eſt, & plenâ Religionis Majeſtate ab Archiëpiſcopo Mechlinienſi ſuſtinetur; qui in vicina Vrbe Cathedram, hîc quoque Curiam habet. Regium ſequitur regimen (ſive Conſilia, ſive Collegia voces) prudentiæ, juſtitiæ, dignitatis ubique ſpecimen. Eminet Politicum, ſive Statûs, quia Principi proximum, ſic & Belli. Conſilium deinde Sanctius, Sanctiúſque Ærarium, Conſilium Brabantiæ: Collegium Quæſtorum Brabantiæ, & Provinciæ Lucemburgenſis: Curia bonorum, quæ à Prin-

à Principe tenentur,& *Feudalis* appellatur. Comitia hîc etiam ſua, & in ipſa Vrbis Curia, Ordines Brabantiæ obeunt: ipſi quoque Provinciarum omnium, ſua; ſed nonniſi à Principe convocati. Tribunal deinde Vecleanum,ad quod centum ampliùs pagi cauſſas & controverſias ſuas deferunt. Regimen Vrbicum veteri inſtituto, partim Nobilium eſt, partim Plebis; Nobilium Septem familiæ, à Septem, ut dixi, Dynaſtis, quorum nomina & Inſignia ſingulari hîc tabellâ notantur. Ex hiſce Prætor, Conſul primarius, Septemviri, *Scabini* ab agendo & jubendo jam olim dicti. Bini quoque Theſaurarii, Præfectúſque Foſſæ, ſive Navigationis; deinde Vrbis Syndicus, munere ſingulari ac perpetuo. Suis etjam quotannis ſuffragiis Nobilitas Septempartita ternos,& ex unaquaque familia in electione novorum Septemvirorum Principi offert; è quibus ille Septenos conſtituit. Plebs verò in novem Claſſes diviſa eſt,& hactenus partem Curiæ ac Senatûs facit. Ex hoc ordine alter Conſul, Quæſtores quatuor, Conſiliarii ſex, ne omnes enumerem. Cæterùm, Cives in quadraginta regiones, digeſti. Sunt & Collegia varia, ſive Societates, & quæ Principum olim auxilia & arma erant, quinque ſelectiſſimorum hominum nunc centuriæ, anteà cohortes, quas *Guldas*, ſive *Gildas* appellant. Regimen habes; ſed ipſi, qui reguntur, laude digni ſunt, naturâ faciles, obſequio prompti. Hæc in Vrbe: quid ſuburbana? Amœna collibus, arboribus, aquis; fœcunda hortis, agris, paſcuis; ornata villis, pagis, caſtellis: & hîc eſſe Vrbem dixeris. Maximo ac vicino naturæ beneficio Civitati ſervit Sonia ſilva, octies mille ducenta ſexaginta tria jugera complectens, voluptas Principis, commoditas Populi; tam ferarum ferax, quàm arborum; cùm

& ve-

& venatui prædam, & igni fomentum abundè ſuppeditet. Territorium deinde latè extenſum, Abbatias Affligemenſem, Grimbergenſem, ac Diligemenſem: Comitatum Grimberganum; Baronias Gaesbecanam, ac Wemmelanam comprehendit: Aſcanos prætereà, Merchtenſes, Capellenſes, Rodienſes, & Campenhoutanos, qui ampliſſimi Vici ſunt, & uberiorem ſcriptionem poſcunt.

FINIS ELOGII.

NOMENCLATVRA OPIFICIORVM VRBIS BRVXELLÆ,

QVÆ IX. CLASSIBVS CONTINENTVR,

Latina & Belgica.

ABietarii. *Wit-wercker s.*
Acicularii. *Spelle-makers.*
Acupictores. *Borduer-wercker s.*
Æramentarii minores. *Kleyn-Geel-gieters.*
Ærisfuſores. *Geelgieters.*
Alutarii. *Huyvetters.*
Arcuarii. *Boogh-makers.*
Arcubaliſtarii. *Voetboogh-makers.*
Argentifabri. *Silver-ſmeden.*
Aromatarii. *Speciers.*
Aurifabri. *Goudt-ſmeden.*
Aurocoriarii. *Goude-leer-makers.*
Bractearii. *Goudt-ſlaghers.*
Buccularii. *Helm-ſlaghers.*
Bynopœi. *Mout-makers.*
Cæmentarii. *Steen-houwers.*
Cærulearii. *Blauw-verwers.*
Calcariarii. *Spoor-makers.*
Caligarii. *Kouſ-makers.*
Calopodiarii. *Holblock-makers.*
Capſarii. *Koffer-makers.*
Carmentarii. *Droogh-ſcheerders.*
Carpentarii. *Rad-makers.*
Cerdones. *Oude-Schoen-makers.*
Cerearii. *Waſ-makers.*
Cereviſiarii. *Brouwers.*
Cetarii. *Geſoute-viſch verkoopers.*
Chelypœi. *Violons makers.*
Chirothecarii. *Handſchoë-makers.*
Chirurgi. *Wond-meeſters.*
Circitores. *Meers lieden.*
Ciſtellarii. *Kiſt-makers.*
Coriarii. *Leer-touwers.*
Cribrarii. *Tempſt-makers.*
Cruſtarii. *Plackers.*
Cruſtularii. *Peperkoeck-backers.*
Culcitrarii. *Bedde-makers.*
Cultellarii. *Kleyn-meſ-makers.*
Cultrarii. *Langhe-meſ-makers.*
Cupedinarii. *Paſtey-backers.*
Dolabrarii. *Schaef-makers.*
Ephippiopœi. *Sadel-makers.*
Faſciarii. *Lint-treckers.*
Ferrarii. *Grof-ſmeden.*
Ferri politioris fabri. *Witwerckers in 't yſer.*
Ferrolaminarii. *Bleck-ſlaghers.*
Fibularii. *Maelleniers.*
Figuli. *Pot-makers.*
Fimbriarii. *Frenie-makers.*
Fiſcellarii. *Mande-makers.*
Fluviopiſcarii. *Groen-viſſchers.*
Folliones. *Blaesbalck-makers.*
Fullones. *Volders.*
Gemmarii. *Juweliers.*
Haſtarii. *Lancie-makers.*
Helciarii. *Gareel-makers.*
Hiſpanici operis Sellarii. *Spaenſche-leere-ſtoel-makers.*
Horologiarii. *Horologi-makers.*
Imbricarii. *Tichel-deckers.*
Inſolatores. *Bleyckers.*
Lanifici. *Wulle-wevers.*
Lanii. *Been-houwers.*

Lapicidæ. *Steen-houwers.*
Laternifices. *Lanterne-makers.*
Lignarii. *Timmer-lieden.*
Ligularii. *Neſtel-makers.*
Limbolarii. *Paſſement-makers.*
Linteones. *Lyne-wevers.*
Loricarii. *Loriniers.*
Magnarii. *Groſſiers.*
Marſupiarii. *Teſ-makers.*
Molarii. *Molen-ſlaghers.*
Molitores. *Molders.*
Muſtricolarii. *Leeſt-makers.*
Nautæ. *Schip-lieden.*
Nodularii. *Knoop-makers.*
Oculariorũ fabri. *Brille-makers.*
Oenopolæ. *Wyn-taverniers.*
Olitores. *Hoveniers.*
Palarii. *Schup-makers.*
Palliones. *Huyck-makers.*
Papyropolæ. *Pampier-verkoopers.*
Patellarii. *Panne-makers.*
Pelliones. *Peltiers.*
Penicularii. *Borſtel-makers.*
Pharmacopolæ. *Apotekers.*
Phrygiones. *Borduer-werckers.*
Pictores. *Schilders.*
Pileones. *Hoede-makers.*
Pileorum farctores. *Hoed-ſtof-feerders.*
Pinguiarii. *Vette-wariers.*
Piſtores. *Broodt-makers.*
Plectropœi. *Luyt-makers.*
Poliones. *Sweert-vaghers.*
Polymitarii. *Tapeſsiers.*
Pomarii. *Fruyteniers.*
Pullarii. *Poelliers.*
Reſtiones. *Seel-makers.*
Sagittifabri. *Pyl-makers.*
Sartores. *Kleer-makers.*
Scandularii. *Schalie-deckers.*
Sclopopœi. *Buſ-makers.*
Scrutarii. *Oude-kleer-verkoopers.*
Scutellarii. *Houte-ſchotel-makers.*
Serarii. *Slot-makers.*
Sericarii. *Syde-kramers.*
Serrarii. *Saghers.*
Spatharii. *Spadeerders.*
Stannarii. *Ten-gieters.*
Statuarii. *Beeldt-ſnyders.*
Sutores. *Schoen-makers.*
Thecopœi. *Scheede-makers.*
Tinctores. *Verwers.*
Tonſores. *Barbiers.*
Toreutæ. *Draeyers.*
Vannarii. *Wan-makers.*
Vaſorum vitreorum fictiliúmque Propolæ. *Glaſen ende pot-verkoopers.*
Veterinarii. *Hoef-ſmeden.*
Vietores. *Kuypers.*
Vitriarii. *Glaſen-makers.*
Zonarii. *Riem-makers.*

QVÆ EXTRA CLASSES.

Æris & ligni ſculptores. *Kopere ende houte-plaet-ſnyders.*
Aulœdi. *Speel lieden.*
Bajuli. *Arbeyders.*
Bibliopegi. *Boeck-binders.*
Bibliopolæ. *Boeck-verkoopers.*
Doſſuarii. *Sack-draghers.*
Frumentarii. *Graeniers.*
Geranarii. *Kraen-kinderen.*
Lanarii negotiatores. *Laken-verkoopers.*
Laterarii. *Careel-backers*
Linarii. *Vlaſch-verkoopers.*
Lintearii. *Lynwaetiers.*
Nitrarii. *Salpeter-makers.*
Pulverarii. *Poeder-makers.*
Stragularii. *Saergie-verkoopers.*
Typographi. *Boeck-druckers.*
Vectores. *Kruy-wagheners.*
Vitriflones. *Glaſen-blaſers.*

AMPLIS-

AMPLISS. ET CLARISS. VIRO

ERYCIO PVTEANO,

BAMELRODIO,

CONSILIARIO ET HISTORIOGRAPHO

REGIO,

BRVXELLAM SEPTENARIAM,

GRIPHO PALLADIO DESCRIPTAM,

EDENTI,

Selecta Applaudentium HEPTAS *gratulatur.*

LAZARVS BONVICINIVS

POSSIDONIVS,

Sereniſſimo Duci Mutinæ à Secretis,

GENER SOCERO.

MVSICA *Dircææ ſileant exordia Thebæ,*
Et Septemgeminis mœnia ducta modis:
Sæpiùs hæc Septem cernuntur PALLADIS *Vrbe,*
Sæpiùs ingenio ſed PVTEANE *tuo.*
Sæpiùs Vrbs Septem PVTEANI *implexa coronis,*
Subvecta Augurio, tollit ad aſtra caput:
Docto Septenam calamo qui condidit Vrbem,
Ex opere hîc ſiſtat, Septima ſitque Dies.

IO. IACOBVS DE PANNDT,

Nobilis Viennenſis,

GENER SOCERO.

PALLADIS *Vrbs grato tegitur velamine* GRIPHI:
Sic res prægrandes condere Muſa ſolet.
At mox velamen deducunt LVMINA *Phœbi,*
Atque dies oritur gratior à tenebris.

IVSTVS CÆCILIVS PVTEANVS

BAMELRODIVS,

Magnæ Belgarum Curiæ à Secretis,

FILIVS PATRI,

ETIAM SEX FRATRVM NOMINE.

SEPTENIS *Septena Iugis ſua Mœnia* PALLAS
Quondam Belgarum Principe digna dedit:
Nunc PVTEANÆO *tandem ingenióque ſtilóque*
Mundi Septenis exhibet iſta plagis.
Hæc, inquam, ſcribi PVTEANO *poſcit ab uno,*
Quòd decies vitæ Septimus annus adeſt,
Quòd Septena Patrem veneramur maſcula proles,
Quòd bis Septenûm pars ſit & ille Patrum,
Bis ter Septenos Artes quòd tradidit annos,
Quæ poliunt mores, barbariémque fugant,
Progenies claro numeret quòd Stemmate Septem,
Septem & litterulas continet ERYCIVS:
Iure igitur ſcribit venerandam PALLADIS *Vrbem,*
Quantáque ſit, propriis indicat à numeris.

COR-

CORNELIVS VAN VFFELE, I. V. D.

DOMINVS DE WAESMONT,

Senator Bruxellenſis.

*H*EPTAS *amat Cælum, multò mage* PALLADIS *Vrbem:*
Sæpiùs hîc Cælum num, PVTEANE, *ſtruis?*
Quin ſtrueres, terræ caperent ſi mœnia Cælos,
Palladiæ & tantum ſi foret Artis opus.

SIMON DE TVLDEN, I. C.

Senator Antverpienſis.

*S*EPTENVS *numeros inter pulcherrimus omnes,*
Plurima, queîs meritò ſuſpiciatur, habet.
Hunc BRVXELLA *Vrbes inter præclarior omnes,*
Gaudet præ reliquis conciliare ſibi.
Quippe per hunc rerum decus exprimit omne ſuarum,
Naturâ, ſtudio, ſorte, loci genio.
Hiſtoricos inter PVTEANVS *maximus omnes*
Iſtud nominibus mille modiſque docet.
Per numerum numerorum Vrbem excolit Vrbium, & unio
Sidera quo tangit, ornat utrumque ſtilo.
Menſuram, numerúmque loci, populúmque per iſtum
Noſſe juvat Librum, ſingula pondus habent.
Sic, PVTEANE, *caves, nequid ſitus occulat ævi;*
Accedunt tituli laudis & inde novæ:
Nequa Orbis regio, ne ſeſe Vrbs neſciat ipſam,
Néve minus numero quàm ſpecie placeat.
Septenis hinc mille modis ſeſe jactat, & uni
Hinc debet totidem ſe tibi nominibus.

IVLIVS BOCCAMÆVS,

Phyſiologus.

BRVXELLÆ turres, formoſáque templa, domóſque,
Et metuenda Viris arma, Viróſque refers,
Et jura, & mores, fora, compita, mœnia, montes,
Et quæcumque Orbis vix, PVTEANE, capit.
Vincebant quoque viſa fidem miracula tanta,
Nec ſatis Vrbs laudes noverat ipſa ſuas:
At Cælum ingenio ERYCIVS complexus, & Aſtra,
Et Terram, & vaſto quæ tegit illa ſinu,
Quæ laudas Veterum monumenta ingentia rerum,
Omnia non magno colligit illa libro.
Penè novam antiquis PVTEANVS Civibus Vrbem,
Et cultum Templis, Cælitibúſque dedit.
Non potuit Scriptor contingere dignior Vrbi,
Non Vrbs Scriptori dignior ulla ſuo.

GVILIELMVS GVILIELMIVS,

Eloquentiæ Profeſſor.

CVR BRVXELLA capit ſacrum de PALLADE nomen,
Et cur tot numeris redditur ipſa ſibi?
Vt munita ſuo Augurio, velut altera Roma,
Belgarum in reliquis Vrbibus emineat,
Septenâ ut meliùs trabeâ, curáque regatur,
Et Tribubus Septem floreat uſque ſuis,
Gratior à Septem pulchro ſit marmore Fanis,
Gratior à vera Relligione Deo,
Collibus è Septem Septenas ſurgat in Vrbes,
Vndique Septenis fontibus irrigua,
Septenis pateat ſtructis à PALLADE Portis,
Septenis denis Belgiadum populis:
Quæ dum PALLADIIS numeris PVTEANVS adumbrat,
PALLADIS ipſe ſibi vindicat ingenium.

CLA-

CLARISSIMO VIRO
IO. BAPTISTÆ DE GHINDERTAELEN,
VRBIS BRVXELLAE
SYNDICO,
E. PVTEANVS BAMELRODIVS S. D.

VRBEM BRVXELLAM, numeris nunc tandem ſuis abſolutam, vides, Clariſſime Vir; ſcriptam omnibus, ut publica fieret; inſcriptam SENATVI, ut & POPVLO placeret. Scribere arduum erat, inſcribere pium ac laudabile. Quid tamen? aggredi quod arduum auſus ſum, poſtquàm ſtimulos ab affectu tuo ſenſi, opem ab auctoritate. Contulit quoque induſtriam ſuam HENRICVS CAROLVS DONGELBERGIVS, ut ſtirpe; ſic virtute, doctrinâ, Litterarúmque elegantiis Clariſſimus, è Magiſtratu Vrbis, in Senatum Brabantiæ tranſlatus, rerum & Antiquitatis Belgicæ vel maximè peritus. Contulit & ſuam GVILIELMVS BLITTERSWYCKIVS, nuper hîc inter Septemviros, in Summa nunc Geldriæ Curia Senator Regius: qui dignus Majoribus ſuis, natúſque aliis magis quàm ſibi, meo quoque ingenio uti ſtuduit, ut bene de Patria mereretur. Etenim ſingulari curâ ſcrutatus abdita & adyta Curiæ, ex ipſo Grammatophylacio eruit, quæ ſcitu mihi neceſſaria erant, & jam cœperant ignorari. Hiſce velut Auxiliaris acceſſit, Vir non unâ laude excellens, CORNELIVS VFFELIVS, Senator Bruxellenſis,

& Vccleanus, ille inter lumina Iuriſprudentiæ meritò ponendus. Sed & Ioannes Mommartius, Optimus vitæ honeſtæ ratione Civis, præſtantiſſimus ingenio & eruditione Typographus, cùm Artem & Officinam Patriæ velut conſecraret, in variis & juvit me, & direxit: operâ quoque uſus Gvilielmi Asbroecki, Graphiarii Prætorii, Viri ſeduli, & tanquàm ex officio, quæ aliundè haberi non poterant, ſubminiſtrantis. Jam verò Inſcriptio, ut pia & laudabilis: ita tuo affectu, judicióque nitetur. Nempe agendum hîc, & loquendum erit: tu verò cùm mens Curiæ & manus ſis, quidni agas? cùm lingua & Suada, quidni loquaris? Cape igitur librum, & Senatvi Popvloqve offer: ſed tuum puta, ut libenter offeras; & me tuum, ut magis ames. Vale. Lovanii in Arce, Kalendis Iunii, ∞. IↃC. XLVI.

CEN-

CENSVRA.

INclytam Vrbem Bruxellenſem BRVXELLA hæc eleganti ſtilo repræſentat: in qua nihil inveniet Lector quod offendat; multa verò quæ delectent. Datum Lovanii, VII. Idus Novemb. ∞. IↃC. XLIV.

IAC. PONTANVS, *S. Th. Doctor, Apoſtolicus ac Regius Libror. Cenſor.*

SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHILIPPVS *Dei gratiâ Hiſpaniarum, etc. Rex Catholicus Diplomate ſuo ſanxit, Nequis* ERYCI PVTEANI, *Conſiliarii, & Hiſtoriographi, nec non Profeſſoris ſui in Academia Lovanienſi Libros, à legitimo Cenſore approbatos, & in Conſilio noſtro Secreto examinatos & admiſſos, intra quindecim annos, præter ipſius voluntatem, vel typis ſuis excudat, vel alibi excuſos, in has Germaniæ Inferioris ditiones venales inferat. Qui ſecùs faxit, præter exemplarium confiſcationem, triginta marcharum auri puri illatione mulctabitur: uti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ,* Signat.

LE COMTE.

SINGVLARIS PERMISSIO.

M*Ajeſtas Catholica permittit, ut hæc* ERYCI PVTEANI, *Conſiliarii, Hiſtoriographi, & Profeſſoris ſui* Bruxella Septenaria, *quæ in Conſilio ſuo Secreto examinata, & digna lectione publicâ habita eſt, typis excudatur, & in lucem veniat. Brux.* IV. *Non. Mar.* ∞. IↃC. XLV.

Signat. LE COMTE.

CAV-

CAVTIO
TYPOGRAPHO FACTA.

VTor Privilegio, quod à Rege Catholico mihi conceſſum eſt, & Singulari Conſilii Sanctioris Permiſſione, quæ acceſſit; tibíque, Ioannes Mommarti, bonâ fide & affectu poteſtatem facio, hanc meam Brvxellam Septenariam typis tuis excudendi ac divulgandi. In me, in te, in ipſum peccabit Regem, ſiquis negotium tibi in hac Editione faceſſet, mulctandus inſuper, ſive novam molietur, ſive tuam, exemplaria aliundè inferendo, impediet.

Erycivs Pvteanvs.

SVMMA PRIVILEGII.

Philippi IV. *Hiſpaniarum Regis Catholici, & Potentiſſimi Belgarum Principis, Privilegio cautum eſt, Nequis hanc* Eryci Pvteani, *Conſiliarii, & Hiſtoriographi R.* Brvxellam Septenariam, *ſive integram, ſive partem ejus, præter* Ioannis Mommartii, *cui ab Auctore Editio permiſſa eſt, voluntatem, ullo modo intra novennium excudat, aut alibi excuſam in Germaniæ Inferioris ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum, & aliâ gravi pœnâ mulctabitur; uti latiùs patet in Litteris datis Bruxellæ* VII. *Kal. Iun.* ∞. IↃC. XLVI.

Signat. Loyens.

BRVXELLÆ,
TYPIS IOANNIS MOMMARTII.

∞. IↃC. XLVI.

6 [illegible]4-49[illegible]

130482